DE

M. CAELII RUFI

GENERE DICENDI

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE FRIBURGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRANCISCUS BURG

OFFENBURGENSIS

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCLXXXVIII

BERNHARDO SCHMIDT

S.

M. Caelii Rufi oratoris vitam, mores, eloquentiam quamquam multi et docti viri inde a Pauli Manutii temporibus descripserunt,[1]) nemo tamen adhuc inventus est, qui in genus eius dicendi, quale cum in fragmentis orationum tum in septendecim epistulis inter Ciceronianas servatis comparet, dedita opera inquisiverit.[2]) nimirum aut prorsus neglexerunt latinitatem Caelianam aut confuderunt permiscueruntque cum Tulliana, quasi una eademque esset, quae dissimillima est. adparet autem, quanti sit momenti et ad historiam linguae latinae plene cognoscendam et ad crisin via ac ratione factitandam, ut quid discriminis inter Ciceronis orationem et aequalium intersit quam accuratissime investigetur. quod cum ita sit, operae pretium esse videtur M. Caelii rationem scribendi cum cura persequi. quae quidem res quamquam non sum nescius quantis difficultatibus impedita sit, cum et codex Mediceus[3]) in hac epistularum parte corruptelis plurimis gravissimisque inquinatus et ipsius Caelii scribendi genus eiusmodi sit, ut, quid fervidi animi neglegentiae, quid incuriae scribarum debeatur, saepe discerni paene nequeat, tamen consilio atque hortatu Bernhardi Schmidtii, praeceptoris non uno nomine de me meriti, eam adgredi ausus sum, addiditque mihi animum I. H. Schmalzii exemplum, qui tribus commentationibus

---

1) Paulus Manutius ante commentarium ad Ciceronis epistularum ad familiares lib. VIII; W. Drumannus hist. rom. vol. II p. 411 ss.; F. Ellendtius prolegom. ad Ciceronis Brutum p. CXXIII ss. edit. alt.; G. Boissier in libro 'Cicero und seine Freunde, deutsch bearb. von E. Doehler', Lips. 1869, p. 171 ss.; W. Wegehauptius in progr. Vratislav. a. 1878; H. Wischhoelterus 'de M. Caelio Rufo oratore', diss. Lips. a. 1885.

2) nam *Vindiciae Latinitatis Caelianae*, quas H. W. Suringar in M. Caelii Rufi et M. Tullii Ciceronis epistularum mutuarum editione s. init. editurum se promiserat, nusquam foras datae sunt.

3) de ceteris codicibus, quorum lectiones divulgavit O. Streicherus in comment. philol. Jenens. vol. III p. 99 ss., nondum ad finem perducta quaestio est; cfr. L. Mendelssohnius annal. philol. vol. CXXIX p. 108 adn.

nonnullorum ex eis qui ad Ciceronem epistulas dederunt orationem perdiligenter illustravit.[1])

Sed antequam de singulis disputare incipiam, quam brevissime, quippe post aliorum quos enumeravi egregias curas, de ingenio, moribus, vita Caelii, utpote quibus oratio eius derecta atque constituta sit, exponendum erit, qua in parte disputationis simul veterum iudicia de eo adferam.

Genitum esse Caelium C. Mario Cn. Carbone III coss., i. e. anno ab u. c. 672=82 a. Ch. n., Plinius nat. hist. VII 49, 165 tradidit; verum Nipperdeius opusc. p. 298 s. certis argumentis evicit huic testimonio fidem haberi non posse, probabiliterque coniecit Caelium L. Cinna III Cn. Carbone coss. 669/85 natum esse, quae coniectura nuperrime a Wischhoeltero l. l. p. 4 ss. munita est. sumpta virili toga a patre mori illi antiquo, quem Tacitus dialog. c. 34 et 35 descripsit, convenienter ad M. Tullium Ciceronem et M. Licinium Crassum deductus est, quorum consuetudine ac disciplina ad eloquentiam usumque forensem institueretur. nec talibus magistris indignum se praebuit; nam praeclaro ille ingenio praeditus concitatusque summo mentis ad gloriam ardore cum totus se ad dicendum contulisset, factum est, ut summam et apud aequales et apud posteros laudem oratoriam consequeretur.[2])

Recessit Caelius a Cicerone 691/63, nec multo post, initio anni 695/59, causas in foro dicere coepit. accusavit C. Antonium Hibridam, Ciceronis in consulatu collegam, quod coniurationis Catilinae particeps fuisset, et acerbissime eum insecutus oratione, cuius particulam cognitu haud iniucundam servavit Quintilianus IV 2, 123, perfecit ut damnaretur. quae res cum tam prospere cessisset, ut sibi gratiam populi conciliaret aditumque ad honores patefaceret, L. Sempronium Atratinum de ambitu compellavit, absolutum iterum 698/56 in ius vocavit, sed continuo ipse a L. Sempronio Atratino filio reus factus est. cui ad accusandum Caelium maxime auctor fuit Clodia, famosa illa P. Clodii soror, Q. Metelli Celeris quondam uxor.

1) 'Ueb. d. Sprachgebrauch d. nichtciceronischen Briefe in d. ciceron. Briefsammlungen', annal. gymnas. Berol. vol. XXXV, p. 87—141; 'Ueb. d. Latinit. d. P. Vatinius', progr. Mannhem. a. 1881, p. 27—48; 'Ueb. d. Sprachgebr. d. Asinius Pollio' in 'Festschr. z. XXXVI Versamml. deutsch. Philol. z. Karlsruhe', Caroliruhae 1882, p. 76—101.

2) veterum testimonia collegit H. Meyerus 'orator. Roman. fragm.', p. 458 ss. edit. alt.

quae cum a Caelio, iuvene splendore corporis insigni nec ipso satis continenti, quem aliquamdiu illecebris lenociniisque devinctum habuerat, deserta esset, odio inflammata ut poenas ab eo exigeret enixe operam dedit. itaque concitavit Atratinum, ut illum de vi et veneficio accusaret.[1]) defenderunt causam Caelius ipse oratione perfaceta plenaque salis, ut ex pauculis quae extant reliquiis eius (cfr. Meyerus l. l. p. 463) cognoscitur, M. Crassus, Cicero oratione nobis servata, ita, ut reus iudicio absolveretur.

Multum ex hoc tempore in foro et negotiis publicis versatus quaesturam obtinuit 699/55 (cfr. Wegehauptius l. l. p. 11, Wischhoelterus l. l. p. 27), tribunus plebis factus est 702/52, aedilis curulis 704/50. quo anno P. Clodius a Milonis servis occisus est, gravissimis aliquot contionibus optimatium partes vindicavit, paulo post M. Saufeii causam egit, tribunatu perfunctus continuo Q. Pompeium Rufum collegam de vi accusavit atque ut damnaretur obtinuit, denique aedilis factus contionem habuit de aquis, in qua aquariorum fraudes vehementer castigavit (cfr. Meyerus l. l. p. 466 s.).

703/51 in Ciliciam provinciam profecturus Cicero a Caelio petivit, ut omnes res urbanas diligentissime sibi perscriberet. ita factum est, ut mutuas inter se epistulas mitterent, quarum quae sunt Caelii una cum aliquot posteriore tempore ab eo scriptis Ciceronis epistularum ad familiares libro octavo,[2]) Tullianae eiusdem corporis libro altero 8—16 continentur. de his epistulis fusius hoc loco exponere supersedeo, quoniam quae ad orationem earum pertinent dedita opera infra tractabimus, quae autem ad notitiam rerum a Caelio aliisque gestarum inde hauriri possunt, optime a Wegehauptio l. l. p. 13 ss. et Wischhoeltero l. l. p. 32 ss. explanata sunt. sed ut ad propositum revertamur, Caelius, cum antea semper a senatu stetisset, iam in dies magis ab eius causa alienatus orta inter Caesarem et Pompeium discordia ad Caesaris partes transiit unaque cum C. Curione, M. Antonio, Q. Cassio 705/49 Ravennam in castra illius se contulit. at paulo post, cum ne a Caesare quidem omnia quae sperasset sese impetraturum esse intellegeret, etiam huic insidias parare coepit: praetoria potestate (nam praetor

---

1) accuratius de hac causa egerunt Drumannus l. l. p. 377 ss. et Wegehauptius l. l. p. 9 s.

2) epistulae VIII 16 etiam alterum exemplum extat inter epistulas ad Atticum datas X 9 A servatum.

peregrinus 706/48 creatus est) ad hominum studia excitanda abusus cum magistratu removeretur, seditionem in urbe movit; quod cum minus bene succederet, urbe relicta Italiae inferioris municipia sollicitare conatus est, sed eodem etiam anno 706/48 a Caesaris equitibus est interfectus.

Tam inhoneste periit vir *dignus*, ut ait Quintilianus X 1, 115, *cui et mens melior et vita longior contigisset;* nam, quomodocumque in extrema vita se gessit, erat optima indole ornatus: multum in eo ingenii, multum acuminis,[1]) summa in rebus hominibusque diiudicandis sagacitas;[2]) sed idem adeo natura ardens vehemensque, ut ad pessima quaeque, quemadmodum vidimus, paulatim abripi se pateretur.[3]) atque, ut in rebus gestis, sic etiam in dicendo turbulentus erat; incendebat enim eum animi vis et impetus efficiebatque, ut et incitata et gravis et acris esset oratio. simul, ut erat homo perargutus, facetus ille quidem et perurbanus,[4]) sed idem amarior in vituperando[5]) et ad homines acerbe perstringendos pronus. cuius naturae in orationibus eius expressae notabilia aliquot exempla nobis servavit Quintilianus, velut VIII 6, 53 ista de Clodia, quam *quandrantariam Clytaemnestram* et *in triclinio coam, in cubiculo nolam* adpellavit,[6]) aut IV 2, 123 morum descriptionem Antonii. aptissimum erat igitur eius genus dicendi accusationibus, atque plus eum valuisse accusando quam defendendo testatur Cicero Brut. 273 *graves eius contiones aliquot fuerunt, acres accusationes tres* (quas supra commemoravimus) *eaeque omnes ex rei publicae contentione susceptae; defensiones, etsi illa erant in eo meliora, quae dixi, non contemnendae tamen saneque tolerabiles,* idemque Cicero, ut Quintilianus VI 3, 69 narrat, per allegoriam Caelium melius obicientem crimina quam defendentem *bonam*

---

1) cfr. Quintilianus X 1, 115 *multum ingenii in Caelio;* idem XII 10, 11 *indoles Caelii oratoris laudatur. ingeniose nequam* eum adpellavit Velleius II 68.

2) cfr. Wegehauptius l. l. p. 22.

3) vid. quae ipse dicit ad fam. VIII 17, 2 *atque hoc nullius praemi spe faciam, sed, quod apud me plurimum solet valere, doloris atque indignationis causa*; vide etiam Senecam de ira III 8, 6 *Caelium oratorem fuisse iracundissimum constat* et Wegehauptium l. l. p. 21 s.

4) cfr. Cicero Brut. 273 *et splendida et grandis et eadem in primis faceta et perurbana oratio* (Caelii).

5) Tacitus dialog. c. 25 *amarior Caelius.*

6) vide quae infra c. III dicemus et cfr. Wegehauptius l. l. p. 11 adn. 3 et Harneckerus 'Berl. Philol. Wochenschr.' vol. IV p. 227.

dextram, malam sinistram habere dicebat. eodem redire mihi videntur reliquorum de eloquentia Caelii iudicia. Quintilianus X 2, 25 *asperitatem* eius commemorat; Tacitus haec habet in dialog. c. 18 *(antiqui oratores) sunt horridi et impoliti et rudes et informes, et quos utinam nulla parte imitatus esset Calvus noster aut Caelius aut ipse Cicero,* et c. 21 *quid? ex Caelianis orationibus nempe eae placent, sive universae sive partes earum, in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus. sordes autem illae verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem, nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Caelium ex ea parte laudet, qua antiquus est,* quibus verbis eum antiquos oratores imitatum neglegentem fuisse significat in verbis et eligendis et collocandis et comprehensione devinciendis. nimirum, cum summo semper animi ardore et quasi aestu diceret, fieri non potuit, ut polita esset eius oratio aut apte et numerose concluderetur. simul cum maxime id ageret, ut vulgo probaretur, consentaneum erat eum huius potissimum auribus orationem suam adcommodasse. itaque popularis erat eius dictio, non nimis ornata lectis verbis, sed quae magis communem sermonem redderet. scilicet formis verbisque plebeis et priscis, quae in cottidiana quidem consuetudine etiam tum vigebant, sed abhorrebant a Ciceronis Caesarisque elegantia, haud cunctanter usus est.

Magnum igitur videmus discrimen intercessisse inter Ciceronis magistri et Caelii discipuli genus dicendi. neque vero ulla causa est, cur Teuffelio,[1]) Wegehauptio,[2]) Harneckero[3]) adstipulantes Caelium in Atticorum qui tum apud Romanos dicebantur numero habeamus, qui dedita opera a Ciceronis ratione dicendi recesserant. nam quaecumque in Caelii genere

---

1) Teuffelius hist. litt. rom. p. 399 s. edit. quartae a Schwabio curatae.

2) l. l. p. 23 adn. 5.

3) cfr. hunc in 'Berl. Philol. Wochenschr.' vol. IV p. 225, ann. philol. vol. CXXV p. 604, CXXIX p. 47; qui quod et his locis et 'Wochenschr. f. klass. Philol.' vol. III p. 1102 s. ex Ciceronis in Bruto 273 verbis *hic cum summa voluntate bonorum aedilis curulis factus esset, nescio quomodo discessu meo* (i. e. anno 703/51) *discessit a sese ceciditque, posteaquam eos imitari coepit, quos ipse perverterat* hoc effici opinatur Caelium, cum antea totus deditus fuisset Ciceronis generi dicendi, illo anno ad Atticorum partes transisse, mirum in modum erravit; nam verba illa nullo modo potest dubitari quin ad Caelii in re publica rationem tantum referenda sint; cfr. etiam Wischhoelterus l. l. p. 40 et adn. 8 et Blassius 'd. griech. Beredsamkeit von Alexander bis auf Augustus', Berol. 1865, p. 140.

dicendi a Tulliano diversa erant, ea non ratione aliqua aut observatione effecta esse, sed ex ipso naturae ingeniique habitu eius manavisse ex eis quae supra dixi satis, puto, intellegitur.

Haec fere sunt, quae de Caelii in orationibus quidem genere dicendi comperta habemus; ex quo existimari potest de sermone epistularum; nam vix quicquam hunc ab illo discrepare ad Caelii indolem respicienti a primo probabile est. hinc autem efficitur, quod summi momenti est, sed saepe neglectum, ut cautissime eius epistulas attingere oporteat sitque videndum, ne, dum orationem horridam et impolitam ad Ciceronis normam exigere studemus, Caelium ex Caelio expellamus. sed iam inquiramus in singula.

Caput I.

De formis vocabulorum.

Initium faciam a corruptela Medicei, sub qua antiquae formae vestigium latere videtur, VIII 5 extr. *neque adhuc frequentem senatis efficere potuit;* pro quo quod reposuit Orellius *senatum is effic. pot.* quantopere langueret recte intellexit Bernaysius (cfr. Ritschelius mus. rhen. vol. VIII p. 494 s. = opusc. vol. IV p. 172), qui collato loco simillimo VIII 9, 2 *ne frequentiam quidem efficere potuerant* speciose scribendum esse coniecit[1]) *neque adhuc frequentiam senati efficere potuit* aut .... *senatuis.* iam habes genetivi formas antiquiores *senati* aut *senatuis;* quarum illa quidem utpote per sextum septimumque ab u. c. saeculum frequentissima et ne a Cicerone quidem aliena (cfr. Ritschelius opusc. IV p. 169 s. et Neuius vol. I p. 352 edit. alt.) nullo modo potest dubitari quin recte Caelio attribuatur; incertissimum vero iudicium est de altera quam Bernaysius proposuit, quamvis propius ad lectionem traditam accedat. nam aliquanto rarior est et, si a vetustissimis scriptoribus recedimus, ab eis solum usurpata, qui dedita opera ad antiquum genus dicendi se adplicabant[2]), Varrone et Nigidio Figulo; cfr. Ritschelius l. l. et Neuius l. l.

Summo iure Wesenbergius (cf. emend. p. 109) Medicei scripturam VIII 10, 1 *Commaginem* non in *Commagenem*, sed in *Commagenen* mutavit; nam a prima declinatione accusativum tertiae alienum esse notissima res est; cfr. Neuius I p. 58 et Kuehnerus gramm. lat. vol. I p. 272 adn.

Immerito spreverunt editores breviorem dativi formam

1) in idem incidit H. Buschius Philol. vol. XXVI p. 359, nisi quod *frequentiam senatus* scribi vult.

2) nam quod in Buecheleri libello 'Grundriss d. lat. Declinat.' p. 61 edit. a Windekildio curat. ex Cicerone pro Rosc. Amer. 145 adfertur *metuis*, omnes nunc editores in *metus* mutaverunt; cfr. Hellmuthius act. sem. philol. Erlang. vol. I p. 109 et Landgrafius ad Cic. pro Rosc. l. l

mi (mei) VIII 4, 5 et 17, 1 (nam *me* quod hic legitur ex archetypi scriptura *mei* ortum est) in Mediceo traditam; vulgaris est enim haec forma perque omnes aetates usitata scriptoribus, qui sermonem cottidianum servant; cfr. Buechelerus l. l. p. 112 et Schmalzius progr. Mannh. p. 33; de scriptura *mei* vide praeterea Lachmannum in comment. Lucret. p. 246 et Buechelerum mus. rhen. vol. XI p. 515.

Non sine specie quadam probabilitatis et certe ex Caelii more L. Mendelssohnius annal. philol. vol. CXXXIII p. 64 VIII 2, 1 in verbis depravatis hisce *me repraesentare* delitescere suspicatus est *meme praesente* [*me praesente* iam Rutilius], neque coniecturae eius id obstare puto, quod plenior forma ablativi *meme* nunc quidem alibi nusquam invenitur. nam in usu fuisse hanc formam testis est Priscianus XII 5, 24 *tete utraque producta accusativus esse geminatus ostenditur vel ablativus, quod et in prima et in tertia solet fieri persona, ut meme, sese*, nec minus confirmat ratio. nam quoniam *sese* et *tete* accusativi et ablativi, *meme* accusativus triti sunt, quidni etiam ablativum *meme*, praesertim in sermone communi, pro usitatiore *memet* adhibitum fuisse statuamus? cfr. etiam Neuius II p. 182 et Schmalzius l. l. p. 33 s.

In secunda persona praesentis temporis passivi Caelium, ut VIII 8, 2 *admiraris*, ibid. 11, 4 *suspicaris*, 6, 1 *videaris*, 10, 2 *dicaris*, ita etiam VIII, 4, 1 pleniore forma usum esse putandum est; neque enim dubitari potest, quin ex *mirer*, quod hic praebet Mediceus, non *mirere*, ut nunc legitur, sed potius, cum syllaba *is* sequente *IStoc* hausta sit, *mireris* restituendum sit. de frequenti hoc in codice Mediceo vitiorum genere cfr. Buechelerus l. l. p. 512.

Rarissimae sunt perfecti temporumque a perfecto derivatorum formae pleniores, veluti *existimaveram* simil.; quales Caelius prorsus respuit, si *s* littera syllabam *vi* excipit; cfr. *sperasti significasti tractasti, vapulasse renuntiasse temptasse, praeparassem superasset occupasset iurasset iudicassent, nosti* (quater), *audisti audisset, perisse subisse.* si syllabam *ve* sequitur *r* littera, tribus quidem locis admittit longiores (VIII 6, 1 *existimaveram*, ibid. *speraverat*, 16, 1 *cognoverim*[1]), sed multo magis hic quo-

---

1) ita praebet Mediceus in epp. ad fam.; sed cum in altero huius epistulae exemplo ad Att. X 9 A, 1 legatur *cognorim*, haud scio an rectius ad ceterorum locorum similitudinem altero quoque loco *cognorim* scribatur.

que breviores formas praefert; cfr. *putaram mandaris* (bis) *obligaris negaras delectarit emanarit turbarat dissiparant aestimarant excitarunt confirmarunt pugnarunt laborarunt, commorit decrerat decrerant norant consuerunt; arcessieris*[1]) *desieramus*, *audiero audieris* (bis) *audierat introierat transierat transierant circumierant.* nec differunt perfecta singularis numeri verborum quae sunt *ire* et *petere* cum compositis; cfr. *iit* VIII 4, 4; 13, 2; 15, 2, *exiit* ibid. 16, 1, *introiit* 2, 1 [*introitu* Med.]; *petii* VIII 8, 10 et 16, 4.[2]) qua in re Caelium usum cottidianum secutum esse cum per se probabile est, tum Terentii, Lucilii atque eorum, qui praeter Caelium ad Ciceronem epistulas miserunt, consuetudine confirmatur; cfr. Engelbrechtius in Studiorum Vindobonensium vol. VI p. 216 ss., Stowasserus ibid. VII p. 36 s., Opitzius progr. Naumburg. a. 1879, p. 5 s.

Nulla causa Wesenbergius spreta Medicei auctoritate VIII 6, 4 *calficiunt* in *calfaciunt* mutavit; nam forma illa non numquam, etsi raro, optimorum codicum memoria defenditur (cfr. quos congessit locos Georges lex.[7] s. v.: Cic. de nat. deor. II 151 *calficiendum*, id. fragm. p. 43, 15 K. *calficimur*, Itala Ioann. 18, 25 *calficiens*) nec omnino habet quicquam suspecti. nam haud raro fit, ut eiusdem verbi compositi duplices extent formae, altera integram, mutatam altera exhibens verbi primitivi vocalem; cfr. *detrecto* — *detracto, insipiens* — *insapiens*, *inficetus* — *infacetus*, alia multa apud Seelmannum 'd. Aussprache d. Latein' Heilbronn. 1886, p. 58 ss. et Ed. Haulerum in Woelfflini archio lexicogr. vol. III p. 535 s. et in Studiorum Vindobonensium vol. IX p. 37.

Pro *percurrissem*, quod exhibet Med. VIII 16, 4, recte, puto, Wesenbergius (cfr. emend. p. 129) alterius exempli, quod in epp. ad Att. servatum est, codices optimos secutus *percucurrissem* restituit; nam ita plerosque scriptores dicere solitos esse demonstrant exempla a Neuio II p. 486 collecta; cfr. etiam Ritschelius in Suetonii rell. ed. Reiff. p. 498 = opusc. vol. III p. 432.

Notissimum est non ita pauca verba, quae in eleganti et perpolita oratione deponentia sunt, apud priscos scriptores et non numquam apud homines de plebe formam activam prae se ferre itemque verba deponentia, etiamsi forma activa nulla

---

1) *arcessieris* Med. VIII 9, 3, sed *accersas* ibid. 4, 5, *accersere* 12, 2.

2) sic recte habet ex more Caelii Med. in epp. ad fam.; non igitur stare potest *petivi* in epp. ad Att. a Mediceo traditum.

extat aut nunc extare videtur, interdum impellente concinnitate aut simili aliqua causa vel ab optimis scriptoribus passive usurpari; cfr. Draegerus synt. hist. ling. lat. vol. I p. 150 et 156 s. edit. alt. et Reblingius 'Charakteristik d. römisch. Umgangssprache,' Kiliae 1883, p. 36 s. quae cum ita sint, Caelius, cuius genus dicendi tam prope ad usum vitae cottidianae accedit, equidem non dubito quin scripserit VIII 5, 2 *de Gallia constituetur . . . sic multum ac diu ludetur, atque ita diu, ut plus biennium in his tricis moretur* [*moreretur* Med.], praesertim cum certissimum sit activum verbum *morare* et item *commorare* in usu fuisse. nam repperit Diomedes p. 400 K. *morare* apud Naevium: *quid moras?* (= com. rell. edit. Ribb. alt. p. 18), Ennium: *an aliquid quod dono, fili, nil morares?* (ibid. p. 5), Pacuvium: *paucis absolvit, ne moraret diutius* (= trag. rell. p. 98); *commorare* apud 'vetustissimos' se invenisse ait Priscianus VIII 5, 25, invenimus etiam nunc in sermone plebeio apud Isidorum orig. XI 3, 31 *(commorasse)* et fortasse apud Senecam contr. II 6, 10 p. 222 K. (*commorarent*, sed vide adnot. crit.); cfr. Neuius II p. 304. nihil igitur est causae, cur cum Ernestio, Baitero, Wesenbergio *moremur* scribamus.

Sermonis familiaris esse videtur perfectum *placitum est* pro usitatiore *placuit* VIII 4, 4 *placitum est, ut . . . . reverteretur Cn. Pompeius;* eandem enim formam saepe comici praebent (vide Donatum ad Terentii Andr. 443), velut Terentius Hecyr. prol. II 13 *placitae sunt* (fabulae), ibid. v. 241 *placita est condicio* (cfr. didasc. ad Hecyr. *non placita est* sc. fabula), alibi (cfr. Spengelius et Klotzius ad Ter. Andr. 645); atque *placitum est ut* praeter Caelium dixerunt Cornificius rhet. ad Her. II 1, 1; 13, 19, Decimus Brutus apud Cic. ad fam. XI 1, 2 et 6, Pompeius ad Att. VIII 12 A, 4; Cicero ipse bis tantummodo sic locutus est, Verr. IV 1, 1, h. e. in una priorum orationum suarum, et de republ. I 12, 18, quo in opere antiquum genus dicendi consulto imitatus est (cfr. Hellmuthius act. sem. Erlang. I p. 120); denique frequentari *placitum est* apud scriptores ecclesiasticos docet Roenschius 'Itala u. Vulgata' p. 142, 144; vide praeterea Neuium II p. 339 et Schmalzium ad Sallust. Iug. c. 80, 7.

Ut verborum formas absolvam, addere liceat participia aliquot perfecti et praesentis comparative aut superlative posita, quae quidem notabiliora mihi videntur:

temperatior VIII 15, 1; cuius vocabuli comparativus in-

venitur praeterea apud Ciceronem de or. II 212, Caesarem b. g. V 12, Iustinum VII 6 (cfr. F. Seckius 'de Pompei Trogi elocut.' progr. Constant. a. 1883, p. 13), superlativus apud Varronem de re rust. II 5, 14.

occupatior VIII 4, 3; item Cicero ad Att. X 6, 1 et Plinius epp. II 2; *occupatissimus* apud Ciceronem ad Att. XII 38 et Plinium epp. IX 21, 2.

iactantior in orationis fragm. apud Quintil. XI 1, 51 (ne) *iactantior gestus fuisse videatur;* aliena est haec forma a priscis optimisque scriptoribus, sed familiaris poetis, velut Vergilio, Horatio, Statio, Claudiano, Prudentio, et scriptoribus posterioris aetatis, Quintiliano, Plinio epp., Tacito; cfr. Neuius II p. 120 et Georges lex.[7] s. v.

ferventissime VIII 6, 5; huius quoque participii gradus admodum rari sunt apud priores (*ferventior* habet Cicero de off. I 46, *ferventissimus* Cornificius IV 21), sed usitati apud posteriores et poetas et scriptores; cfr. Neuius l. l. p. 119, Draegerus I p. 31 ss., Georges lex. s. v.

Admodum rara est forma *seorsus* VIII 9, 3; nam haec tantummodo praeter hunc locum extant exempla, Plaut. Rud. 1314, Afran. com. rell. ed. Ribb. v. 85, quem locum propter hanc ipsam formam Charisius exscripsit, Lucret. IV 494, V 448, Liv. IX 42, 8, Curt. V 2, 6 et VII 1, 37; de his adverbiis in *-us* et *-um* desinentibus vide quae optime exposuit Ritschelius opusc. vol. II p. 259 ss.; cfr. praeterea Neuius II p. 637 et Koehlerus act. sem. Erlang. I p. 381.

Ab optimorum quidem scriptorum consuetudine remotum est adverbium *valide,* cuius habemus superlativum VIII 2, 1, nec tamen ullo tempore sermo eo caruit; nam legitur iam apud Plautum haud ita raro (cfr. Neuius II p. 644) comparetque post apud Phaedrum, Velleium (cfr. H. Georges 'de Vellei Paterc. elocut.' diss. Lips. 1877, p. 54), Plinium in epist., Frontonem (cfr. Ebertus act. sem. Erlang. II p. 329).

Immerito editores formam *rusus,* quam Med. VIII 8, 3 exhibet, in *rursus* mutaverunt; antiqua enim et plebeia illa est familiarisque eis, quorum oratio ad sermonem vulgarem accedit; cfr. Ritschelius opusc. V p. 357, II p. 259, 554 s., 715, Buechelerus mus. rhen. XI p. 515, Seelmannus l. l. p. 329 s., Schmalzius annal. gymnas. Berol. vol. XXXV p. 131 s.

Alia quoque forma VIII 15, 2 tradita vereor ne non recte ab editoribus spreta sit, adverbium vel potius locativus *illi:*

nobilem illi Caesaris hospitem. cui facillimum sane est pervagatum illud *illic* substituere; at non dispicio, quo iure haec forma, cum alibi antiquae et vulgares formae libenter in Caelio ferantur, ab eo abiudicetur; viguit enim ea in sermone vetustiore apud Plautum, Terentium, Attium, Caecilium, Turpilium, Lucilium (cfr. praeter Neuium II p. 629 Stowasserus in Woelfflini archio lexicogr. I p. 119 et Harderus ibid. II p. 317), neque videtur dubitari posse, quin etiam post in usu communi servata fuerit, quando similes formae *hi* et *hui* pro *hic* et *huic* in titulis haud ita raro nobis occurrunt; cfr. Buechelerus 'Grundr. d. lat. Declinat.' p. 115 et 121 et Seelmannus l. l. p. 368.

Ter Caelius forma *mehercules* usus est VIII 2, 1; 3, 1; 16, 1 vitae cottidianae morem secutus; nam urbanius fuisse *mehercule* Ciceronis ex verbis in orat. 157 et ex constanti eiusdem in orationibus maxime perpolitis usu perspicitur; cfr. Hellmuthius l. l. p. 122. contra pariter ac Caelius *mehercules* dixit Cicero in primis orationibus suis et in epistulis, itemque dixerunt qui ad eum epistulas dederunt, porro Petronius, Seneca apocoloc. c. 3 et 8 B., alibi, Apuleius metam., alii; cfr. Schmalzius progr. Mannh. p. 35 et Friedlaenderus ad Mart. II praef.

Item vulgare est *hercules* VIII 4, 1 et 6, 3, quod perraro apud Ciceronem legitur, praeterea invenitur apud Asinium Pollionem, Velleium, Frontonem; cfr. Schmalzius 'Festschr.' p. 83.

Semper dixit Caelius *a te* (VIII 3, 3; 8, 10; 10, 2; 12, 4; 16, 4), cum apud ceteros qui ad Ciceronem epistulas miserunt *abs te* praevaleat, cfr. Schmalzius l. l.; de usu Ciceronis cfr. Woelfflinus Philol. XXXIV p. 144, de Cornificio egit Thielmannus dissert. philol. Argent. vol. II p. 424, de comicis Langenus 'Beiträge z. Kritik u. Erklär. d. Plaut.' 1880, p. 332 s.

Superest, ut de re orthographica quaeramus. extant in Mediceo haud rara priscae consuetudinis scribendi vestigia, quae quin reapse Caelii usum repraesentent eo minus potest dubitari, quo certioribus et inscriptionum et grammaticorum testimoniis comprobatur rationem eam scribendi tum temporis in cottidiano usu etiam frequentatam fuisse; cfr. quae de hac re exposuit Buechelerus mus. rhen. XI p. 509 ss., 515 ss.

Scribendum est igitur cum Mediceo *quoius* VIII 1, 1; 14, 1; 16, 2; 17, 1; *quoi* ibid. 12, 2; *quoivis* ibid. 2, 1 [1]) [*quovis* Med.],

---

1) corruptum est *quoiquam* VIII 8, 2; cfr. Madvigius ad Cic. de fin. p. 807 edit. tert. et Wesenbergius emend. p. 104 et emend. alt. p. 20.

quae formae constanter in titulis liberae rei publicae temporibus scriptis inveniuntur manseruntque usque ad Quintilianum; cfr. Quintil. I 7, 27, Buechelerus 'Grundr.' p. 76, 114, Brambachius 'd. Neugestaltung d. lat. Orthogr.' 1868, p. 228.

Item retineatur oportet cum Baitero adverbium *istoc* VIII 4, 1; 8, 10; 9, 4 traditum, quod in sermone plebeio semper usitatum fuisse cognoscitur ex comicorum atque Petronii exemplis et adverbiorum *illoc* et *hoc* pro *illuc* et *huc* positorum similitudine; cfr. Buechelerus l. l. p. 102, Neuius II p. 634, Brixius ad Plaut. Capt. 480, Gertzius ad Senec. dialog. p. 141, 2.

Atque ne in forma *alumentarius* quidem VIII 6, 5 servata offendendum est; nam recepit eam Caelius pariter atque ceteras de quibus diximus ex vulgari more, de quo delego ad Seelmannum l. l. p. 196 ss., 203 ss.

Nec rectius reiectum esse ab editoribus *desse* pro *deesse* VIII 3, 1 cum constanti usu poetarum solas bisyllabas formas *dest dero desse* simil. adhibentium tum complurium titulorum bonorumque codicum testimonio comprobatur. atque testatur Velius Longus gramm. lat. vol. VII p. 65 K. '*de praepositionem imminui, si quando sequens vox a littera e incipit, ut est derrare, desse*'; cfr. etiam Seelmannus l. l. p. 76, Schmalzius annal. gymn. l. l. p. 96, Wagenerus 'Philol. Rundschau' vol. II p. 1528.

Addi his possunt aliae non nullae scripturae in Mediceo servatae, sed a plerisque editoribus, in primis a Wesenbergio, iniuria neglectae. veluti scribendum est secundum Med. *Pompei* VIII 4, 4; 8, 9; 14, 4, *Triari* ibid. 7, 2, *Corneli* ibid. 11, 2, *Appi* 12, 1, *Antoni* 14, 1 [Med. *Antonianam* = *Antoni nam*], *Brundisi* 15, 1, *consili* 14, 2, *spati* 14, 3 [Med. *satis pati* = *satis spati*], eademque genetivi terminatio ubique etiam contra codicem restituenda; cfr. Buechelerus l. l. p. 71 ss. deinde sine causa spernitur forma *reprenderem*[1]), quam tuetur Med. VIII 12, 1; cfr. Seelmannus l. l. p. 266 ss. rectissimeque se habet *coicere* (*conicere* Wesenb.) VIII 4, 4, cfr. Lachmannus ad Lucret. p. 136 et Seelmannus l. l. p. 273 s., 282. tum cum Baitero VIII 2, 1 *obstipui* [Med. *obstipulet* = *obstipui et*], non cum Wesenbergio *obstupui* legendum est; cfr. Klotzius ad Ter. Andr. 256, Dziatzko ad Phorm. 991, C. F. W. Muellerus adn. crit. ad Cic. op. II 1 p. 164, 36. denique unum verum est quod Med. VIII 8, 2 et

1) nisi forte cum Gronovio *prenderem* corrigendum est; cfr. Wesenbergius emend. p. 112 et Mendelssohnius annal. philol. CXXXIII p. 67.

16, 1 exhibet *ilico*, non *illico*, cui formae a Ritschelio (cfr adnot. ad Trin. 688 et opusc. V p. 355) pridem explosae mirum est patrocinari etiam nunc Wesenbergium. sed haec et similia cum pervagata sint neque ad Caelium solum, sed ad universam istius aetatem pertineant, nihil est cur copiosius hic persequamur.

Caput II.

De syntaxi.

1. De subiecto et praedicato.

Si per anaphoram duo aut plura subiecta distinguuntur, ad unum solum idque proxime positum referri solere verbum iam pridem grammatici observarunt; cfr. Madvigius ad Cic. de fin. II 73, Anzius 'Cic. sprachgebr. in beziehung d. gemeinsam. praedic. bei mehrer. subject.' progr. Quedlinburg. a. 1884, p. 17 s. notabile igitur est verbum plurali numero poni praecedente subiecto singulari VIII 16, 2 *si aliquid apud te nos, si vir optimus, gener tuus, valemus*[1]), cuius structura ea est causa, quod pronomen *nos* tantum habet pondus, ut verbum sibimet adcommodet. cetera huius usus exempla non ita multa vide apud Anzium l. l.

Itêm rarum loquendi genus est in VIII 10, 3 *sin aut non erit istic bellum* [sic Baiterus, *sin aut sit aut non erit* Med.] *aut tantum erit, ut vos aut successores parvis additis copiis sustinere possint*, pro quo *possitis* expectamus; nec tamen desunt similia, velut apud Ciceronem ad fam. III 5, 2 *primum ut ipse tu tuique omnes, deinde ut etiam reliqui scire possint;* cfr. etiam Schmalzius ad Reisigii schol. latin. post Haasium iterum a Schmalzio et Landgrafio edit. vol. III p. 41 n. 345 b.

Sine causa offendisse Wesenbergium emend. alt. p. 19 in verbo singulari duobus subiectis subnexo VIII 2, 2 *nam M. Octavius Cn. filius et C. Hirrus mecum petit* haec exempla ostendunt Ciceronis ad Att. IV 17, 3 *Mesalla noster et eius Domitius competitor liberalis in populo valde fuit*, Tusc. V 85 *voluptatem cum honestate Dinomachus et Callipho copulavit*, Brut. 68 *cur igitur Lysias et Hyperides amatur, cum penitus ignoretur Cato?* alia ab Anzio l. l. p. 11 collecta.

---

1) ita scriptum est in altero huius epistulae exemplo ad Att. X 9 A, 1, *valet* hoc loco Mediceus; sed cfr. Wesenbergius emend. p. 127.

Non saepe fit, ut ita deflectat oratio, quemadmodum apud Caelium VIII 3, 1 *non multum M. Octavium eorum odia, quae Hirrum premunt, quae permulta sunt, sublevant;*[1]) debebat enim Caelius aut relativum ad *eorum* referre aut scribere *ea odia, quae* e. q. s.; alterum nostri loci prorsus simile exemplum non inveni nisi unum Ciceronis de fin. II 39 *minuam contentiones omnesque sententias simplices eorum, in quibus nulla inest virtutis adiunctio,* ad quem locum vide Madvigii adnot.

At uti potuisse Caelium aut ullum omnino scriptorem Romanum tam neglegenti duraque structura, qualem Mediceus exhibet VIII 4, 2 *in evitandis iis consiliis, qui se intenderant adversarios in eius tribunatum,* nec ratione nec usu probatur. nam quod eam defendunt (cfr. Draegerus I p. 190) eo quod dicitur *ex eo genere quae prosunt, ex eo numero qui dicerent,* de quo usu disputaverunt Madvigius ad Cic. de fin. III 70 et C. F. W. Muellerus ad Cic. de offic. I 3, manifestum est hoc genus loquendi non pertinere nisi ad substantiva collectiva ('relativum ad singula refertur, quae substantivo comprehenduntur' Madvig.); hic vero nihil tale locum habere inde perspicitur, quod verba insequentia *Laelios et Antonios et id genus valentes dico* ad certae personae significationem referuntur. emendatione igitur opus est facillimeque locum correxit Wesenbergius emend. p. 101 s. ita, ut deleto *iis* ante *evitandis* insereret *eorum: in eorum evitandis consiliis, qui* e. q. s.

2. De casibus.

a. de accusativo.

Figura etymologica quam dicunt utitur Caelius VIII 2, 1 *ut suum gaudium gauderemus* sermonem familiarem secutus, in quo ipsam hanc locutionem usitatissimam fuisse his locis, quos suppeditat Landgrafius 'de fig. etymol. ling. lat.' in act. sem. Erlang. II p. 20, efficitur: Ter. Andr. 964 *gaudia gaudere mea,* Catull. LXI 113 *quanta gaudia, quae vaga nocte, quae medio die gaudeat,* Gell. IX 9, 15 *quod Homerica quidem Λητώ gaudium gaudeat genuinum et intimum,* Andr. presb. Bergam. (= Monum. Germ. hist. tom. V p. 236) 14 *imperator magnum gavisus est*

---

1) sic recte, ut opinor, haec verba scribi iubet Wesenbergius emend. p. 99, cum Med. praebeat *M. Octavius eorum odia .... sublevat;* at defendit codicis lectionem Lehmannus 'Quaest. Tull. I', Lips.-Prag. 1886, p. 36 s.

gaudium; quin etiam in linguas romanicas transisse hanc formulam docet Leiffholdtius 'Etymol. Fig. im Roman.' diss. Gotting. 1883, p. 44 exemplum ex lingua provencali proferens *ben deu quascus lo joy jauzir don es jauzen.*

Admodum rara est et ab optimis scriptoribus aliena verbi quod est *gaudere* cum accusativo aliorum substantivorum coniunctio VIII 14, 1 *nunc furit tam gavisos homines suum dolorem;* praeter hunc enim locum non invenitur nisi apud posteriores scriptores, Statium Theb. IV 231 *gaudent natorum fata parentes,* ibid. IX 724 *tu dulces lituos ululataque proelia gaudes,* Frontonem p. 51, 8 N. *advenientem gaudet,* Symmachum epp. III 29 *ista pars gaudenda mihi;* cfr. Kuehnerus II p. 196 et Ebertus act. sem. Erlang. II p. 316.

Recte nunc de Lambini coniectura (cfr. etiam Wesenbergius emend. p. 113) legi VIII 13, 1 *gratulor tibi adfinitatem* [*adfinitate* Med.] *viri medius fidius optimi* haec docent exempla: Plaut. Capt. 501 *gratulanturque eam rem,* Cic. Phil. II 28 *ei recuperatam victoriam est gratulatus,* id. ad Att. V 20, 1 *gratulatus es mihi illius diei celebritatem,* ad quem locum vide Bootii adnot., Curt. IV 8, 12 *Athenienses victoriam gratulabantur,* Iustin. VIII 3, 1 *civitates quae gratulatae illi sibique victoriam fuerant,* Symmach. ep. VII 16 *nunc sanitatem tibi gratulor,* ibid. 20 *gratulare nobis bonam valetudinem;* cfr. praeterea Draegerus I p. 359, Krebsii Antibarb. p. 507 edit. quintae ab Allgayero curat., Schmalzius annal. gymnas. l. l. p. 130.

Ad vitae cottidianae consuetudinem accedit *id genus* cum participio adiectivi loco posito coniunctum VIII 4, 2 *Laelios et Antonios et id genus valentes dico;* vide quae de hac re exposuerunt Thielmannus dissert. philol. Argent. vol. II p. 406 s. et Schmalzius synt.[1]) p. 264, § 57 adn. 3.

b. de genetivo.

Ex sermone vulgari sumptum videtur VIII 5, 1 *animi pendeo;* eodem enim vel simili modo (*animi angi, excruciari* simil.) saepe locuti sunt comici, ex quibus exempla exscripsit Ebrardus 'de ablat., locat. . . . usu ap. prisc. script. lat.' annal. philol. supplem. vol. X p. 601, itemque Cicero in epistulis ad Atticum

1) sic significo I. H. Schmalzii commentationem de syntaxi linguae latinae arteque scribendi, quae invenitur in I. Muelleri 'Handb. d. klass. Altertumswissenschaft' vol. II p. 240 ss.

datis VIII 5, 2, XI 12, 1, XIII 51, 2, XVI 12, sed nusquam fere in orationibus, cfr. Hellmuthius act. sem. Erlang. I p. 144. de ceteris scriptoribus vide Draegerum I p. 481 s., Antibarb. s. v. pendeo; Landgrafium ad Reisigii schol. lat. vol. III p. 557 n. 526.

Genetivi *obiectivi* ob brevitatem insigne exemplum legitur VIII 8, 4 *expectatione Galliarum actum nihil est* i. e. expectatione, quid de Gallia decerneretur; pariter Cicero ad Att. III 15, 3 *Varronis sermo facit expectationem Caesaris,* quod interpretatur Bootius 'de Caesare, ab eo mihi aliquid sperandum esse', et ibid. VIII 5, 2 *pendeo animi expectatione Corfiniensi* i. e. 'eorum, quae ad Corfinium gesta sunt aut geruntur'.

Ut apud Caelium VIII 14, 2 *neque mearum rerum quid consili capiam reperio,* ita alibi quoque genetivus obiectivus *rerum* ponitur, velut a Cicerone Cat. m. 4 *ceterarum rerum tuam excellentem sapientiam* et aliis locis, quos enumerant Bootius ad Att. XI 11, 2 et Seyffertus ad Cic. Lael. p. 521 s. edit. alt.

c. de dativo.

Vulgari sermone uti Caelium, cum scribit VIII 8, 10 *eos tibi et rem de qua misi velim curae habeas,* cetera exempla huius locutionis quodammodo redundantis (conflata est enim ex notis illis '*curae mihi est*' et '*curae habeo*') ostendunt, Nep. Att. 20, 4 (adeo ut) *curae sibi haberet,* ad quem locum vide Nipperdeii adnot., et Varr. de re rust. I 1, 2 *me ut id mihi habeam curae roges,* si modo recte sic Lambinus codicum scripturam (a Keilio quidem retentam) *curare* mutavit. diligenter de hac re exposuit Thielmannus in Woelfflini archio lexicogr. II p. 65 et 379 s.

Eadem fere condicio est locutionis *curae est mihi de aliqua re* VIII 11, 4, quae nisi in epistulis nusquam invenitur; cfr. Kuehnerus II p. 255 (hic corrigendum *Caelius* apud Cic. epp. ad fam. VIII 11, 4, *Plancus* ibid. X 24, 2, *Lentulus* ibid. XII 14, 4).

Hoc quoque familiare est, quod *dolere* cum dativo personae coniungitur VIII 14, 1 *numquam tibi oculi doluissent,* quocum apte compones Plaut. Amphit. 408 *mi male malae dolent,* Terent. Phorm. 1053 *et quod tuo viro oculi doleant,* Sallust. Iug. 84, 1 *alia ... illis dolentia,* alios locos, quos collegerunt Holtzius synt. prisc. script. lat. I p. 312 et Draegerus I p. 403.

Dativus relationis statuendus est VIII 1 extr. *tui politici*

libri omnibus vigent[1]) i. e. 'nach dem Urteile aller', cui exemplo accurate respondet Ciceronis illud ad fam. VII 33, 1 *nos enim plane aut nihil sumus aut nobis quidem ipsis displicemus gregalibus illis, quibus te plaudente uigebamus, amissis;* similia vide apud Kuehnerum II p. 238 et Schmalzium synt. p. 274.

Adiectivum *alienus* cum dativo coniunctum et nostro verbo 'fremd' respondens, etiamsi a Ciceronis Caesarisque consuetudine abhorreat, tamen ferendum puto apud Caelium VIII 12, 2 *malui collegae eius, homini alienissimo mihi et propter amicitiam tuam non aequissimo, me obligare,* neque Wesenbergio adsentior, qui emend. alt. p. 22 *homini alienissimo et mihi* e. q. s. scribendum esse censet. nam cum eodem modo dixerint Livius I 20, 3 *sacerdotium genti conditoris non alienum* et ibid. XXIX 29, 8 *non alienus sanguine regibus* (cfr. Kuehnastius synt. Livian. p. 125 edit. alt.), Seneca quaest. nat. IV init. *scio quam sis ambitioni alienus, quam familiaris otio et litteris,* Fronto p. 23, 17 N. *Oratius Flaccus memorabilis poeta mihique propter Maecenatem ac Maecenatianos hortos non alienus* et fortasse alii quoque, eundem usum a Caelio abiudicari eo minus par videtur, quo saepius eum videmus et vocabula et structuras a Cicerone et Caesare spreta, sed a posterioribus recepta in suum usum adscivisse; cfr. etiam Antib. s. v.

Structuram prorsus insolentem obtruserunt Caelio Orellius olim et nuper Draegerus I p. 438 s. abusi loco corrupto VIII 8, 2 *M. Servilius postquam ...: reliquerat maximaeque* [*maximeque* Med.] *nobis traditus erat invidiae;* nam quod haec verba ad dativum quendam finalem confugientes ita explicant, quasi Caelius dicat 'M. Servilium sibi (sc. patrono) ita esse traditum, ut maxima sibi invidia conciliaretur' (verba sunt Orellii), M. Servilius Caelio nec invidiae fuit nec omnino reus traditus est, cum, id quod ex insequentibus verbis *postulante Pausania nobis patronis* perspicitur, non Servilii, quod vulgo putant, sed Pausaniae esset Caelius patronus. cfr. quae de hac re exposuerunt C. F. Hermannus ind. schol. Gotting. 1853, p. 11 s. et Mendelssohnius annal. philol. vol. CXXXIII p. 65. quae cum ita sint, manifestum est verba illa nec sic ut tradita sunt stare posse nec emendari coniectura Manutii ab editoribus nunc re-

---

1) ita Medicei corruptela *vigens* in editionibus veteribus correcta est adprobantibus Orellio, Wesenbergio, Vahleno, qui copiosius de verbi *vigendi* vi et usu disputavit ind. lect. hib. univers. Berol. 1881/82, p. 6 s.

cepta *maximaque nobis traditus erat invidia;* sed haud improbabiliter Mendelssohnius l. l. deleto *nobis* ceteroqui Medicei auctoritatem secutus scribit *maximaeque traditus erat invidiae.*

Hoc quoque dubitationi valde obnoxium est, num Caelius dixerit *sperare alicui aliquid;* nam incertissima Orellii coniectura nititur quod Wesenbergius VIII 5, 3 dedit *quam hoc Caesari qui sua causa rem publicam non curent, sperent* [*superent* Med.], *non te fallit;* pro quo Kahntius proposuit *Caesar iique, qui .... sperent,* Mendelssohnius l. l. p. 65 *quam hoc Caesari .... suppeditent* e. q. s.

d. de ablativo.

Initium faciam a loco, de quo ambigitur, num recte se habeat, VIII 6, 4 *si Parthi vos nihil calficiunt, nos hic frigore frigescimus;* ita scriptum est in Mediceo, nisi quod pro *hic,* quod ex editionibus veteribus receperunt Orellius et Wesenbergius (cfr. emend. p. 102 extr.), falso repetitum est *nihil.* sed editores, cum ablativo etymologico (si ita breviter dicere licet figuram etymologicam ablativo formatam) *frigore frigescimus* nullo attributo ad ablativum accedente tautologiam vitiosam effici putarent, mutatione sane facillima *frigore rigescimus* dederunt (cfr. Wesenb. l. l. p. 102), et certe usitatius elegantiusque sic scripsisset Caelius; sed tamen, si ad genus eius loquendi attendimus, haud scio an ferri possit scriptura Medicei. potuit enim ille, ut erat iocorum studiosus, verba *frigus* et *frigescere* dupliciter velle accipi, illud translate de segnitia socordiaque eorum, qui in re publica versabantur, hoc proprie de affectu corporis: ‘wenn d. Parther euch nicht warm machen, so erkälten wir uns hier noch vor Kälte’. nec desunt similia cum apud alios scriptores, ex quibus enotaverunt exempla Lehmannus Quaest. Tull. p. 86 et Landgrafius annal. gymnas. Bavar. vol. XXIII p. 32, velut Vatin. apud Cic. ad fam. V 10 a, 1 *me frigus Dalmaticum . . . etiam hic refrigeravit,* tum apud Caelium ipsum, de quo infra c. IV dicemus.

Ex sermone plebeio sumpsit Caelius usum ablativi gerundii de agendi modo positi VIII 15, 1 *qui . . . bellum ambulando confecerunt* et ibid. 16, 4 *quod tu non dicendo mihi significasti;* nam ita Sallustius, auctor bell. Hisp., Vitruvius atque in primis posteriores scriptores locuti sunt; cfr. Koehlerus act. sem. Erlang. I p. 402 et Schmalzius synt. p. 278, § 93 adn. 2.

Ablativi *qualitatis* liberius positi notabile exemplum legitur,

si quidem Mediceo, quem Wesenbergius sequitur, fides haberi potest, VIII 2, 1 *relictus legi Liciniae maiore esse periculo videtur;* quam quidem structuram ita explicant, ut dicant 'Latinos minus accurate locutos etiam res extra aliquem positas, quae ei acciderent, ablativo qualitatis significasse'; cfr. Nipperdeius opusc. p. 173 et ad Corn. Nep. XVIII 3, 6. nec potest negari similia huic Caelii loco exempla inveniri, quae collegerunt Nipperdeius opusc. p. 173 et Madvigius advers. crit. II p. 237. attamen haud scio an rectius Baiterus hic *in maiore esse periculo* aut Lambinus *maiore esse in periculo* scribi voluerint. nam ita Romanos dicere solitos esse haec exempla ostendent Ciceronis Catil. I 19 *qui magno in periculo essem,* Phil. VIII 22 *omnes in tanto periculo .... erunt consulares,* Verr. V 7 *ista provincia minimo in periculo sit,* sen. 4 *magno in periculo rem publicam futuram,* Nepotis Dion. 8, 2 *eum magno in periculo esse,* Att. 10, 1 *nemo non magno in periculo Atticum putarat,* ibid. 2 *ut modo hi modo illi in summo essent aut periculo aut fastigio,* Dat. 5, 4 *illum .... maiore fore in discrimine,* atque alia permulta, quae enumerare longum est. quae autem adferuntur exempla locutionis *esse periculo aliquo,* ea aut dissimilia aut manifesto corrupta aut valde suspecta sunt. nam Ciceronis illud leg. agr. II 45 *quo tandem* (censetis) *animo, quo periculo miseras nationes futuras* concinnitatis studio deberi adparet; deinde ad fam. IV 15, 2 cum Lambino scribendum esse *ne quo in* [om. Med.] *periculo te proprio existimares esse* demonstrant ea quae secuntur *in magno omnes, sed tamen in communi sumus.* denique quod in Cornelii Nepotis codicibus quater scribitur *esse periculo aliquo* (Dion. 2, 4, Dat. 5, 3, Ham. 2, 1, Hann. 9, 2), nunc quattuor his locis ex Fleckeiseni coniectura (cfr. Philol. vol. IV p. 318) ab Halmio *in* insertum est adprobante Lupo 'd. Sprachgebr. d. Corn. Nepos', Berol. 1876, p. 24.

Summo, opinor, iure Wesenbergius (cfr. emend. p. 64 adn.) eumque secutus Baiterus VIII 2, 1 *absolutus . . . et quidem omnibus ordinibus* praepositionem *ab* ante *omnibus* inseruerunt; neque enim omnino qui sua sponte absolverunt tamquam instrumentum actionis significari possunt.

3. De praepositionibus.

Bis ponitur praepositio *ab* in significanda re, cuius ratione habita aliquid dicitur, VIII 10, 1 *scirem, quam paratus ab*

exercitu esses et ibid. 14, 1 *Cn. Domitius reum fecit* (Cn. Saturninum adulescentem), *sanequam superiore a vita invidiosum;* de hoc genere dicendi sermoni familiari, ut videtur, proprio (invenitur enim apud comicos, in epistulis Ciceronis et aequalium, apud Frontonem et Gellium) vide quae post alios exposuit Schmalzius synt. p. 293.

Ad similitudinem adiectivorum quae sunt *integer, purus, vacuus,* aliorum id genus (cfr. Draegerus I p. 620) Caelius primus, quod sciam, adiectivo *intactus* praepositionem *ab* subiunxit VIII 2, 1 *intactus ab sibilo;* pariter Curtius IV 6, 12 *ut erat non intactae a superstitione mentis* et Iustinus II 3, 1 *ipsi* (Scythae) *perpetuo ab alieno imperio aut intacti aut invicti mansere.*

Praepositionis *de* ita positae, ut idem valeat ac 'quod attinet ad' (cfr. Madvigius ad Cic. de fin. III 57 et Handius Turs. II p. 214, 218), haec exempla notanda videntur, VIII 6, 1 *liberius tibi de tota re esset,* quocum apte conferetur Ciceronis illud ad fam. I 9, 10 *ut integrum mihi de causa Campana ad suum reditum reservarem,* porro ibid. 7, 1 *de belli Parthici periculo cruciabor, ne* e. q. s., ad quem locum cfr. Bruti et Cassii epist. ap. Cic. ad fam. XI 2, 3 *maximo timore de nobis adficiuntur amici nostri.* quibus ab exemplis differunt nec tamen prorsus dissimilia sunt VIII 10, 4 *illud addo ad actiones C. Curionis, de agro Campano* et ibid. 11, 3 *in unam causam omnis contentio coniecta est, de provinciis,* quibus locis ultima verba explicandi causa post *illud* et *in unam causam* addita sunt. eiusmodi *ἐπεξηγήσεις* non raro in oratione familiari liberiusque procedenti leguntur, velut apud Ciceronem ad Att. II 16, 4 *illud tamen quod scribit animadvertas velim, de portorio circumvectionis,* ibid. V 21, 5 *hae litterae cetera vetera habebant, unum hoc novum, de Cibyratis pantheris,* aliis locis, cfr. Wesenbergius emend. alt. p. 110. et ne Graecis quidem hic usus ignotus est, cfr. Platonis symp. p. 175 E *ταῦτα μὲν καὶ ὀλίγον ὕστερον διακασόμεθα ἐγώ τε καὶ σύ, περὶ τῆς σοφίας* et A. Hugii adnot ad p. 215 A.

In noto usu, de quo dixerunt Handius Turs. III p. 285 et Schmalzius 'Festschr.' p. 85, significanter ponitur VIII 15, 1 *ecquem autem Caesare in victoria* (i. e. simulatque vicit) *temperatiorem aut legisti aut audisti?* et simillima ratione VIII 14, 1 *si in repulsa Domitii vultum vidisses,* cui respondet ibid. 4, 1 *Lentuli Cruris repulsi vultum non vidisse.*

Ut Caelius VIII 1, 1 *in hoc te deprecor, ne meum hoc*

officium arrogantiae condemnes, quod hunc laborem alteri delegavi i. e. 'hinsichtlich des Punktes', ita etiam Cicero pro Planco 91 *quod te esse in re publica liberum es gloriatus, ... tibi etiam in hoc gratulor,* de off. III 34 *in hoc Panaetius defendendus est, quod ... dixerit,* alibi locutus est; cfr. Madvigius ad Cic. de fin. IV 37 et C. F. W. Muellerus ad Cic. de off. (ed. 1882) p. 41, 6.

Imponere in aliquid dixit Caelius VIII 17, 1 *cuius amicitia me paullatim in hanc perditam causam imposuit* priscorum scriptorum et Ciceronis consuetudini convenienter (cfr. Schmalzius l. l. p. 85), cum in eadem fere locutione Petronius dativo usus sit c. 102 B. *innocentem alieno periculo imponere.*[1])

Sermonis plebeii esse *ad — versus* VIII 15, 2 *iter mihi necessarium retro ad Alpes versus incidit* inde efficitur, quod, cum nusquam a Cicerone et semel a Caesare b. g. VI 33 adhibeatur, saepius apud Varronem, Sallustium, auctores bellorum Afric. et Hisp. inque inscriptionibus invenitur; cfr. Koehlerus act. sem. Erlang. I p. 441.

Praepositio *sub* cum accusativo iuncta de actionum ordine continuo ('sofort nach') a posterioribus potissimum scriptoribus inde a Livio (cfr. Kuehnastius l. l. p. 366) et poetis (Draeg. I p. 663) usurpatur, priorum duo tantum exempla novi, unum Caelii VIII 4, 4 *non statim sub mentionem et convicium obtrectatorum,* alterum Ciceronis ad fam. X 16, 1 *sub eas* (litteras) *statim sunt recitatae tuae.*

Ex poetarum more Caelius *tenus* cum genetivo coniunxit VIII 1, 2 *Cumarum tenus;* nam ita locuti sunt Cicero in Arateis, Lucretius, Catullus, Vergilius, Ovidius, alii, cfr. Woelfflinus in archio I p. 415.

Ab optimorum scriptorum usu paulum recedit Caelii illud VIII 2, 1 *postridie eius absolutionem;* neque enim consuerunt illi *postridie* cum accusativo nominum coniungere nisi mensium ac festorum dierum, velut *postridie Idus, ludos Apollinares,* simil.; cfr. Madvigius gramm. lat. p. 216 adn. 1.

4. De temporibus et modis.

Notabile est Caelium in incitata narratione uti plusquamperfecto logico, quod dicunt grammatici, in apodosi ad signi-

1) in transcursu adnotare velim non recte Draegerum I p. 659 et Krebsium Antib. p. 879 contendere VIII 6, 5 *ponito me in gratia* ablativum *gratia* coniecturae deberi; immo haec est Medicei scriptura.

ficandam condicionem vel rem eodem tempore, quo altera incipit fieri, absolutam VIII 6, 1 *simulatque Dolabella accessit ad tribunal, introierat* (Appius) *in urbem triumphique postulationem abiecerat,* ad quem locum recte adnotavit Weiskius 'plusquamperfecto pro perfecto egregie celeritatem et praesentis animi consilium exprimi'. frequentarunt hunc usum historici, quorum aliquot exempla collegit qui optime de hac re disputavit E. Hoffmannus 'd. Construct. d. lat. Zeitpartik.', p. 23 s. edit. alt.

Satis notum est futurum exactum saepissime apud comicos, rarius intraque artiores fines apud posteriores scriptores ita poni, ut significetur aliquid certe confectum iri paeneque ad finem esse perductum; vide, ut mittam alios, Draegerum I p. 284 s. et Schmalzium synt. p. 256. eodem modo etiam Caelius locutus est VIII 17, 2 *immo reliqua expectate: vos invitos vincere coegero,* quod sermonis familiaris et plebeii esse docet simillimus Terentii locus Heaut. 85 *crede, inquam, mihi: aut consolando aut consilio aut re iuvero.* porro quod Caelius ibid. 13, 2 scribit *quidnam rei publicae futurum sit, . . . vos senes divites videritis,* frequens est usus futuri exacti verbi quod est *videre* etiam apud Ciceronem aliosque; cfr. Landgrafius ad Cic. pro Rosc. p. 291. fortasse huc pertinet etiam VIII 9, 4 *gratos et bonos viros tibi obligaris,* sed perfacile auditur *id si feceris,* ut ibid. 16, 5 legitur, vel simile quid.

Offendit Wesenbergium (cfr. emend. p. 45 et emend. alt. p. 23) temporum ordo non recte, ut illi quidem videtur, procedens VIII 13, 2 *quemadmodum hoc Pompeius laturus sit, cum cognoscam* (sc. *scribam,* vide infra § 7), pro quo scribi vult *cum cognoro, scribam.* sed traditae lectionis mutandae necessitas mea quidem sententia nulla est. nam neglegens illa orationis conformatio ut a severa lege cogitandi paululum recedit, ita sermonis vulgaris natura efficitur accurati illius temporum discriminis adeo incuriosi, ut non ita raro pro futuro exacto, quod postulat ratio logica, non modo futurum simplex, sed etiam praesens tempus ponatur, quae licentia ne a bonis quidem scriptoribus abhorret. cfr. Madvigius opusc. acad. II p. 80, Draegerus I p. 286 s., Lehmannus Quaest. Tull. p. 6.

Recte fortasse Wesenbergius emend. alt. p. 23 VIII 12, 3 *compellari ea lege me voluerunt, qua ipsi dicere non poterant: insolentissimi homines postulandum me . . . curant* altero quoque loco pro praesenti historico perfectum *curarunt* restituere

vult; neque enim progressus fit orationis, sed eadem res, quae in priore enuntiato generatim, singillatim narratur in altero, ut mutati temporis ratio nulla videatur.

Antiquus et vulgaris ab optimisque scriptoribus fere alienus est usus ille quo secunda persona coniunctivi de subiecto finito pro imperativo ponitur; cfr. Draegerus I p. 310 s. et Schmalzius synt. p. 257. sic Caelius dixit VIII 4 extr. *quid mihi suadeas, quomodo regnum illud se habeat, quis procuret, diligenter mihi perscribas.*

Fuerunt qui auctoritate Medicei nixi Caelium in interrogatione obliqua VIII 15, 1, ubi hic codex praebet *immo*[1]) *si scias, quam sollicitus sum,* indicativo usum esse contenderent. sic Weiskius, Orellius, Draegerus II p. 474. sed fefellit eos opinio, frustraque Lambino *sim* corrigenti refragati sunt. nam ut mittam Caelium ipsum recte dicentem VIII 9, 1 *immo si scias, quam facile, quam ne contentionis quidem minimae fuerit,* etiam veteres scriptores, ad quorum illi usum refugiunt, si in enuntiato primario coniunctivus ponitur, in interrogatione pendenti indicativo prorsus abstinent; cfr. Plaut. Curc. 321 *immo si scias, reliquae quae sint,* Terent. Eun. 355 *immo si scias, quod donum huic dono contra comparet,* Heaut. 764 *at si scias, quam scite in mentem venerit,* alii loci collecti a Beckero in Studemundi 'stud. in prisc. script. lat. coll.' vol. I p. 247 s. quod autem ne comicis quidem concessum est, id ut apud Caelium feramus nullo prorsus modo fieri potest. ceterum quam sit nulla fere in hac re Medicei auctoritas, dilucide inde cognoscitur, quod in eiusdem interrogationis obliquae membro altero recte coniunctivus, altero falso indicativus ab hoc codice exhibetur VIII 1, 2 *quemodmodum actum sit et quae existimatio secuta quaeque de eo spes sit* [*est* Med.] et ibid. 3, 3 *quod maxime conveniat* [*convenit* Med., cfr. Wesenb. emend. p. 99] *excogitabis, genere tamen quod et . . . pertineat et . . . habeat.*

De consecutione temporum haec commemoratione digna videntur:

Tempori praesenti Caelius coniunctivos imperfecti subiecit VIII 10, 1 *hoc quomodo acciperent homines, quam probabilis necessitas futura esset, vereor etiam nunc,* quo loco *vereor etiam nunc* significanter ita dictum esse adparet, ut aliqua ex parte etiam imperfecti vim contineat; simul enim

1) vide infra p. 34.

auditur *verebar et vereor etiam nunc* (cfr. Cic. ad fam. II 19, 1 *verebar, ne id ita caderet, quod etiam nunc vereor*). exemplum Caeliano geminum non inveni, similia congesserunt Kuehnerus II p. 776, Wetzelius 'de consecut. temp. Cic. cap. II' diss. Lips. 1877, p. 42, Kuehnastius p. 218.

Eiusdem nimiae brevitatis et paene neglegentiae exemplum legitur VIII 1, 1 *data opera paravi, qui sic omnia persequeretur, ut verear* e. q. s., ubi dure Caelius praesens tempus *(verear)* ad consilii *(qui persequeretur)* finem atque effectum non verbis expressum, sed qui animo obversaretur (scilicet *et ita persecutus est*) rettulit.

Tertius his accedit ex oratione locus, quem servavit Quintilianus VI 3, 41 *hic subsecutus quomodo transierit, utrum rate an piscatorio navigio, nemo sciebat;* hic nulla ratione habita enuntiati primarii, quod interrogationi obliquae postpositum et a verbo eius compluribus vocabulis separatum est, perfectum *transierit* ponitur ad significandam simpliciter rem actione iam effectam. similiter Cicero locutus est, si fides haberi potest codicibus, Verr. II 1, 75 *qui in illa re quid facere potuerit, non habebat* (sed cfr. C. F. W. Muelleri adnot. crit.), possuntque comparari etiam haec p. Balbo 2 *quae fuerit hesterno die Cn. Pompei gravitas in dicendo, iudices, quae facultas, quae copia, non opinione tacita vestrorum animorum, sed perspicua admiratione declarari videbatur,* p. Sestio 122 *quae tum significatio fuerit omnium, quae declaratio voluntatis ab universo populo Romano in causa hominis non popularis, equidem audiebam, existimare facilius possunt, qui adfuerunt;* cfr. etiam Haasius ad Reisigii schol. lat. p. 594 (= edit. alt. vol. III p. 488 n. 500) et Wetzelius l. l. p. 51 s.

Nulla causa Wesenbergius emend. p. 104 in temporum praesenti historico subiectorum variatione offendens VIII 8, 2 *quo vento proicitur Appius minor, ut indicet* [*impicet* Med.] *pecuniam*[1]) *ex bonis patris pervenisse ad Servilium praevaricationisque causa diceret depositum HSLXXXI* mutavit *indicet* in *indicaret;* nam eodem modo optimum quemque scriptorem locutum esse exempla docent Ciceronis et Livii a Draegero I

---

1) *pecuniam* reposuit Victorius pro eo quod est in Med. *depecuniam,* eique obsecuti Baiterus et Wesenbergius receperunt; nec tamen certa emendatio est. cfr. L. Mendelssohnius annal. philol. CXXXIII p. 65 s., qui scribi vult $\overline{DC}$ [pecuniam] *ex bonis* e. q. s.

p. 236 et C. F. W. Muellero adnot. crit. ad Cic. op. II 1 p. 163, 26 collecta.

Modorum in sententiis relativis inconstantiae notabilia aliquot exempla praebet Caelius:

VIII 16, 2 *nunc te contra victorem Caesarem facere, quem dubiis rebus laedere noluisti et ad eos fugatos accedere, quos resistentes sequi nolueris, summae stultitiae est,* cui similia ne apud Ciceronem quidem desunt; cfr. C. F. W. Muellerus l. l. p. 86, 1.

VIII 14, 3 *in hac discordia video Cn. Pompeium senatum quique iudicant secum habiturum, ad Caesarem omnes, qui cum timore aut mala spe vivant, accessuros;* quo loco nihil est, cur, id quod Wesenbergius dubitanter in adnot. crit. proposuit, *vivant* aequemus ei quod praecedit *iudicant;* nam prior sententia relativa ut formulae instar dicta (*qui iudicant* = iudices) indicativum requirit, non item altera.

VIII 10, 3 *cuiusmodi putas hos esse aut quam id quod nolint conficere posse, qui quae cupiunt tamen ita frigide agunt;* hic non sine specie quadam probabilitatis Wesenbergius emend. alt. p. 21, ut *cupiunt* . . . . *agunt* scriptum est, ita etiam *nolunt* scribendum esse censet, quod tamen non necessarium. nam potuit Caelius distinguere velle certam rem (*cupiunt, agunt*) ab incerta opinione *(nolint).*

At VIII 11, 4 *malo in hanc partem errare, ut quae non desideres audias, quam quicquam quod opus est* [sic cum Med. Baiterus] *praetermittatur* recte Wesenbergius emend. p. 112 modorum inconstantiam ut quae nullam prorsus habeat excusationem sustulit *opus sit* pro *opus est* scribendo.

5. De enuntiatis coniunctionalibus.

Satis frequens apud Caelium est notus ille maxime sermonis familiaris usus, quo verbis quibusdam omissa *ut* particula solus coniunctivus additur (cfr. Draegerus II p. 282 ss. et Schmalzius synt. p. 313 s.); haec enim extant exempla possuntque addi eis quae Draegerus l. l. collegit:

VIII 1, 3 *fac mihi perscribas* (cfr. Schmalzius progr. Mannh. p. 38); ibid. 16, 5 *eligas censeo;* ibid. 6, 5 *de Dolabella integrum tibi reserves suadeo,* 10, 2 *tibi suadeo . . . diligenter et caute perscribas;* 6, 2 *unum illud monere te possum . . . . nihil expectes et ostendas;* 11 extr. *sic agas rogo* (Schmalzius l. l.); 3, 3 *a te peto aliquod ad nos σύνταγμα conscribas.*

Ex more vulgari dictum videtur *visum est ut* VIII 5, 2

visum est, ut te facerem certiorem; ita enim locuti sunt Terentius Phorm. 619 *visumst mi, ut eius temptarem sententiam,* Claudius Quadrigarius ap. Gell. III 8, 8 *visum, ut te salvum velimus,* idem ibid. *visum est, ut te certiorem faceremus,* Cornificius ad Her. IV 10, 14 *ubi visum est, ut in alveum descenderet,* Cicero semel ad Att. XII 51, 2 *scis ita nobis esse visum, ut isti ante legerent,* Nepos Eum. 3, 5 *hoc ei visum est prudentissimum, ut milites duceret,* Livius XXVI 21, 4 *medium visum, ut urbem ovans introiret.* cfr. de hac re Nipperdeius ad Nep. l. l., Lupus annal. philol. CXV p. 504, Schmalzius synt. p. 355, id. ad Reisigii schol. lat. vol. III p. 448 extr.

Non ita saepe apud Ciceronem eiusque aequales verbo quod est *dare* particula *ut* adiungitur, frequentius tamen quam putat Schmalzius annal. gymnas. Berol. l. l. p. 120, qui duo tantum exempla adfert, Cic. acad. I 24 et Sulpic. ap. Cic. ad fam. IV 5, 6; adde Cael. VIII 8, 1 *quemadmodum tibi pro beneficio dederit, ... ut Vestorius teneret,* Cic. pro Rosc. Am. 46 *si tibi fortuna non dedit, ut patre certo nascerere,* ad quem locum vide Landgrafium, id. de leg. agr. II 35 *datur eis primum, ut liceat eis vendere omnia.*

Ut *contendere, instare,* simil. (cfr. Draeg. II p. 260 ss.), ita *incumbere* cum *ut* coniungitur VIII 11, 3 *in unam causam omnis contentio coiecta est, de provinciis; in qua adhuc*[1]) *incubuisse cum senatu Pompeius videtur, ut Caesar . . . decedat;* item Cicero ad fam. X 19, 2 *incumbe, ut belli extrema perficias,* cum solo coniunctivo Livius X 15, 8 *Appius Claudius cum suis tum totius nobilitatis viribus incubuit, se cum Q. Fabio consulem dicerent;* cfr. etiam Vulg. Interp. Isai XXII 4 *nolite incumbere, ut consolemini me super vastitate filiae populi mei.*

De verbo *praestare* cum *ne* coniuncto VIII 10, 5 *praestabo, ne amplius prorogetur,* quae coniunctio a Ciceronis quidem et Caesaris usu abhorret, sed non ita raro apud aequales eorum legitur, vide quae dixit Schmalzius annal. gymnas. Berol. l. l. p. 129.

Ad verborum timendi similitudinem dicitur *cruciari ne* VIII 7, 1 *cruciabor, ne hunc risum meum metus aliqui perturbet,* quo cum loco conferantur Cic. p. Mur. 88 *nunc cruciatur et sollicita est, ne . . . conspiciat,* id. ad Att. II 17, 2 *solebat me pungere, ne* e. q. s., Balb. ap. Cic. ad Att. IX 13 A, 2 *quomodo*

---

1) ita scribi vult Wesenbergius emend. alt. p. 22 pro eo quod est in Mediceo *in quam adhuc est;* sed fortasse rectius Madvigius advers. crit. III p. 161 illud *est* in *eo* mutavit.

me nunc putas torqueri, . . . ne qua res . . impediat. addi possunt haec exempla eis quae Draegerus II p. 297 congessit.

Harum quoque structurarum alibi non inventarum analogia causa est:

VIII 5, 1 *tamquam nihil denegatum sit ei, quo minus quam paratissimus esset,* cui similia exempla (*interpellere, repugnare, quo minus* al.) invenies haud pauca apud Draegerum II p. 690.

VIII 14, 3 *illud te non arbitror fugere, quin homines debeant . . . honestiorem sequi partem;* eadem ratione dicitur *non fallit quin* a Terentio Hec. 728 *nec pol me multum fallit, quin quod suspicor, sit quod velit,* a Caesare b. c. III 94, 3 *neque Caesarem fefellit, quin ab iis initium victoriae oriretur,* ab auctore bell. Alex. 32 *neque eum consilium suum fefellit, quin hostes nihil . . . essent cogitaturi;* cfr. Draegerus II p. 667, 669.

Quod dixit Caelius VIII 10, 1 *hoc quomodo acciperent homines, quam probabilis necessitas futura esset, vereor etiam nunc,* eiusmodi interrogationes a verbis timendi pendentes locum habent in sermone cottidiano ideoque frequentantur a comicis, ex quibus multa congessit exempla Beckerus in Studemundi 'stud.' I p. 206, et inde propagatae inveniuntur non ita paucis locis apud Ciceronem, sed in eis praecipue libris, in quibus plus dedit sermonis familiaris consuetudini, rarae autem sunt apud ceteros scriptores; cfr. Draegerus II p. 485, cui adde Cic. p. Mil. 77 et p. Deiot. 4, Liv. XXVII 47, 5.

Admodum rara non solum apud optimos scriptores, sed etiam apud posteros est *cum* particulae cum indicativo plusquamperfecti coniunctio (cfr. Hoffmannus l. l. p. 104 ss. et Schmalzius synt. p. 348), cuius unum apud Caelium extat exemplum VIII 9, 2 *has litteras a. d.* IV *Non. Sept. dedi, cum ad eam diem ne profligatum quidem quicquam erat.*

Plusquamperfectum logicum sequitur *postquam* particulam VIII 8, 2 *M. Servilius postquam . . omnibus in rebus turbarat nec quod non venderet quicquam reliquerat maximaeque* [nobis] *invidiae*[1] *traditus erat* e. q. s., quo loco per *turbarat, reliquerat, traditus erat* significatur res prius incepta iamque ad finem perducta. ceterorum scriptorum exempla vide apud Hoffmannum l. l. p. 26 ss. et Schmalzium synt. p. 343.

Ad sermonem vulgarem accedere videtur VIII 16, 3 *dum, quid de Hispaniis agamus, scitur, expecta;* ita enim solent

1) cfr. quae dixi de hoc loco p. 22 s.

comici cum particula *dum* verbis expectandi subiecta nulla consilii finisve, sed solius temporis ratione habita indicativum coniungere (cfr. Lorenzius ad Plaut. Most. 668); perraro ita Cicero et extra orationes locutus est itemque posteriores scriptores, cfr. Draegerus II p. 610 et Schmalzius synt. p. 346.

De enuntiatis condicionalibus haec habeo quae adnotem:

Bis Caelius coniunctivo protaseos indicativum apodoseos subiungit, VIII 14 extr. *si sine tuo*[1]) *periculo fieri posset, magnum et iucundum tibi Fortuna spectaculum parabat*, quocum utile erit comparare Ciceronis illud de off. II 67 *admonebat me res, ut . . . deplorarem, ni vererer, ne de me ipso aliquid viderer queri,* alia quae adscripsit ad h. l. C. F. W. Muellerus quaeque collegit Priemius Philol. vol. suppl. V p. 273 s.; item VIII 10, 2 *nisi Deiotari subsecutae essent* (litterae), *in eam opinionem Cassius veniebat;* ita enim Baiterus Medicei corruptelam *veniat* tolli vult, cum Wesenbergius cum editionibus veteribus *venerat* praeferat. Caelius autem utrum *veniebat* scripserit an *venerat,* vix potest diiudicari. usitatum enim esse utrumque nec multum differens inter se docent plurima utriusque generis exempla quae congesserunt C. Lilie 'Conjunctiv. Bedingungssatz bei indicativ. Hauptsatz', progr. Berol. a. 1884, p. 16 et Draegerus II p 725 s. sed tamen Baiteri coniecturam ut probabiliorem putem eo adducor, quod eadem Medicei depravatio atque hoc loco extat VIII 11, 1 *eripiantur* pro *eripiebantur.*

Admodum raro genere loquendi utitur Caelius, cum in apodosi post *paene* coniunctivum plusquamperfecti pro indicativo perfecti ponit VIII 4, 1 *nisi nostri equites acutius vidissent, paene concedente adversario superasset;* nam unum tantummodo praeter hunc eius generis locum repperi apud Ammianum Marcellinum XVI 2, 10 *paene delessent* (duas legiones), *ni subito concitus clamor sociorum auxilia coegisset.* quamquam haud scio an soli casui tribuendum sit, quod haec structura non saepius invenitur. mirum enim esset, si Romani, qui haud raro in huiusmodi enuntiatis condicionalibus verbi quod est *posse* coniunctivum plusquamperfecti ponebant, eundem modum adverbio *paene* subiungere verecundati essent. huc accedit, quod etiam illius usus quem grammatici requirunt, quo post *paene* in apodosi indicativus perfecti ponitur, apud optimos

1) sic Baiterus pro *suo* Medicei; *summo* alii, cfr. Wesenbergius emend. p. 121.

quidem scriptores adeo rara exempla sunt, ut difficile sit de consuetudine illorum certum iudicium ferre; unum enim tantummodo extat apud Ciceronem ad Att. XV 26, 4 (cfr. Priemius l. l. p. 308), nullum apud Caesarem, unum denique inveni apud priscos scriptores, Plaut. Pers. 595.

Sermonem vulgarem redolent quae leguntur VIII 8, 2 *admiraris amentiam; immo si actionem . . . . audisses,* ibid. 9, 1 *sic . . Hirrum tractasti? immo si scias, quam facile, quam ne contentionis quidem minimae fuerit,* ibid. 15, 1, quem locum Lambinum secutus Wesenbergius emend. alt. p. 24 recte ad eandem orationis formam revocavit scribendo '*gloriose omnia?*' *immo* [om. Med.] *si scias, quam sollicitus sim, tum . . . derideas;* eodem modo saepissime comici locuti sunt, ex quibus multa congessit exempla C. F. W. Muellerus 'Plaut. Prosodie' p. 94 adn. 2 et p. 638.

Notissima est vulgaris illa formula iurandi VIII 15, 2 *peream, si minima causa est,* de qua vide Draegerum II p. 705.

6. De infinitivo.

Secundum cottidiani sermonis consuetudinem accusativus cum infinitivo (infinitivus) adiungitur verbis his:

discrucior VIII 3, 1 *discrucior nunc cottidie non esse te, ad quem cursitem;* item Plautus Bacch. 435 *haec nunc meo sodali dici discrucior miser,* Catullus LXVI 76 *afore me a dominae vertice discrucior,* Cicero semel ad Att. XIV 6, 1 *discrucior fundum . . . possideri,* cfr. Draegerus II p. 392.

timeo VIII 11, 3 *valde autem non vult et plane timet Caesarem consulem designari;* ita saepius Livius locutus est, velut II 7, 9, V 21, 6, X 36, 3 (cfr. Kuehnastius p. 254), itemque posteriores; de Cicerone ambigitur (de leg. II 57 corrupte in libris legitur *quod haud scio an timens suo corpori posset accidere;* addiderunt *ne* de Lambini sententia Baiterus, Vahlenus, Muellerus; *timens suo corpori posse accidere* alii); cfr. Schmalzius synt. p. 324.[1])

furo VIII 14, 1 *nunc furit tam gavisos homines suum dolorem;* eodem modo Cicero dixit ad Quint. fr. II 1, 3 *furebat a*

---

1) quod autem vir doctus l. l. Caelium verbo quod est *invidere* accusativum et infinitivum subiecisse contendit, fefellit eum opinio; nam VIII 4, 1 *hoc tibi non invideo caruisse te pulcherrimo spectaculo* verba *caruisse te* non pendent ab *invideo,* sed explicandi causa post *hoc* adiuncta sunt.

Racilio se contumaciter urbaneque vexatum et p. Cluent. 177 *furere crudelis mulier . . . sibi nequaquam . . ea quae cogitasset procedere,* Florus IV 4, 1 *Antonius praelatum sibi Octavianum furens;* fugerunt haec Draegerum suntque addenda ad II p. 393.

discupio VIII 15, 2 *te videre et omnia intima deferre discupio;* pariter locutus est Plautus Trin. 932 *quin discupio dicere,* accusativum et infinitivum subiecit Catullus CVI 2 (ubi vid. Riesius). omisit haec Draegerus l. l. p. 307.

Ab optimorum scriptorum usu plane abhorret *flagitare* cum accusativo gerundivi coniunctum, quod primum apud Caelium invenitur VIII 4, 3 *inde Hirrum cuncti iam non faciendum* (sc. aedilem) *flagitare*, post apud Tacitum hist. IV 42 extr. *delatores et ministros more maiorum puniendos flagitabat* et Suetonium Ner. c. 44 *consensu flagitantes a delatoribus potius revocanda praemia.* qua de re nec Draegerus II p. 412 s. nec Georges lex.[7] s. v. accurate exposuerunt.

At verbo *optandi* Caelius, ut plerique aequales, particulam *ut* subiunxit VIII 1, 4 extr. *ut defungeremur optavi;* quod autem Baiterus dedit VIII 3, 3 *qui tibi istuc in mentem venit, homini non inepto? opto* [om. Med.] *aliquod . . . extare,* pro eo potius *volo aliq. ext.* propter insequentia verba *cuiusmodi velim . . quaeris* scribendum esse vidit Wesenbergius emend. p. 53 et emend. alt. p. 19. cfr. etiam Schmalzius 'Festschr.' p. 88 s.

Satis insolenter Caelius *coeptum est* cum infinitivo activo coniunxit VIII 8, 2 *de damnatione ferventer loqui est coeptum,* cuius usus unum tantum praeterea exemplum extare videtur[1]) apud Gellium I 11, 3 *coeptumque in hostem progredi.* quae structura cum non inveniatur nisi in verbis deponentibus, recte haud dubie Thielmannus dissert. philol. Argent. II p. 83 adn. 2 a forma deponentiali causam eius repetiit; cfr. etiam Draegerus I p. 162.

Ad verbi 'censendi' similitudinem dictum est VIII 13, 1 *transierant illuc rationem eius habendam;*[2]) simili ratione Tacitus locutus est ann. I 74 extr. *tulit* (sc. sententiam) *absolvi reum criminibus maiestatis;* cfr. G. Muellerus 'Zur Lehre vom Infin. im Lat.', progr. Goerlitz. a. 1878, p. IX.

---

1) nam quod Kuehnerus II p. 497 adfert Livii illud XXXVI 44, 4 *tumultuari primum coeptum est,* nihil inde potest colligi, quia verbum *tumultuari* saepissime cum apud alios tum apud Livium vim passivam habet, cfr. Neuius II p. 326 et Kuehnastius p. 347.

2) cfr. de hoc loco Wesenbergius emend. alt. p. 23 et infra p. 39.

Rarus atque, ut videtur, familiaris est usus quo verba vel locutiones intransitivae generis activi personaliter cum nominativo et infinitivo coniunguntur, ut apud Caelium VIII 10, 2 *nisi Deiotari* (litterae) *subsecutae essent, in eam opinionem Cassius veniebat*[1]) . . . . *finxisse bellum et Arabas in provinciam inmisisse eosque Parthos esse senatui renuntiasse;* similem structuram adhibuerunt Cicero Verr. IV 30 *cum in suspicionem venissent expilasse fanum Apollinis*, Dolabella ap. Cic. ad fam. IX 9, 1 *etsi nullo tempore in suspicionem tibi debui venire partium causa potius quam tua tibi suadere,* Lentulus l. l. XII 15, 5 *magistratus veniebant in suspicionem detinuisse nos;* cfr. Schmalzius annal. gymnas. Berol. l. l. p. 135 et synt. p. 329 s.; qui cur Caelii locum dubitationi obnoxium esse opinetur, equidem non dispicio; nam praeter illud leviter corruptum *veniat* pro *veniebat* nihil suspecti in eo inest.

Notabile est Caelium VIII 10, 2 *honeste, sive neglegentia sive inertia est sive ille quem proposui metus, latet sub hac temperantiae existimatione nolle* (sc. eos, i. e. consules) *provinciam* sententiam infinitam *nolle provinciam* ut appositionem vel epexegesin ad verba *hac temperantiae existimatione* adiunxisse hac sententia: 'honeste latet . . . sub eo, quod ob temperantiam provinciam nolle existimantur' (cfr. etiam Wesenbergius emend. p. 110); nec desunt similia, velut apud Ciceronem orat. II 2, 7 *illa opinio . . . alterum non doctissimum, alterum plane indoctum fuisse,* ad fam. VII 1, 3 *opinio eiusmodi esse quandam illi beluae cum genere humano societatem,* alia quae collegit Naegelsbachius 'Lat. Stilist.' p. 604 s. edit. VII et C. F. W. Muellerus ad Cic. de offic. p. 28, 6.

Infinitivus historicus semel legitur in oratione vivida VIII 4, 3 *inde Hirrum cuncti iam non faciendum flagitare;* ex orationibus Caelii exemplum adfert Quintilianus VIII 6, 21 *stupere gaudio Graecus;* ita enim locus accipiendus, non, ut vult Quintilianus, *coepit* audiendum est. ceterum a vero aberrasse Draegerum I p. 329 cum eoque Landgrafium ad Cic. p. Rosc. p. 190, qui raro singulos infinitivos historicos, ut in loco Caeliano, poni centendunt, docent exempla a G. Mohrio 'de infin. histor.' diss. Hal. 1878, p. 13 s. collecta.

In exclamatione habet Caelius accusativum cum infinitivo coniunctum adsurgente oratione VIII 17, 1 *ergo me potius in*

---

1) vide quae diximus p. 33.

Hispania fuisse tum quam Formiis, cum tu profectus es ad Pompeium! de noto hoc usu vide Draegerum I p. 332 et Schmalzium synt. p. 300.

Relicum est, ut consuetudinis illius vulgaris, cuius supra p. 30 mentionem incohavi, qua sententia sententiae potius adiungitur quam subicitur, i. e. constructionis paratacticae quae vocatur (cfr. Draegerus II p. 213 s. et Schmalzius synt. p. 313) exempla Caeliana adferam; sunt autem haec:

VIII 2, 1 *in theatrum Curionis Hortensius introiit, puto, ut suum gaudium gauderemus,* quo loco redarguitur Schmalzii sententia, qui progr. Mannh. p. 39 *puto* Ciceronis aetate per ironiam dictum esse negat; item ibid. 3, 3 *cuiusmodi velim, puto, quaeris.* aliorum exempla vide apud Schmalzium l. l., cui addi possunt Cic. ad Att. IX 9, 3, ad fam. VII 23, 2.

VIII 1, 4 *alius equitem perdidisse* (sc. dicit), *quod, opinor, certe factum est*; de ceteris cfr. Draegerus II p. 214 s. et Merguetus lex. Cic. oratt. s. v.

Ne illud quidem a re alienum est quod legitur VIII 11, 3 *hoc tibi dico: si omnibus rebus prement Curionem, Caesar defendet intercessorem,* quocum apte conferes Plaut. Pseud. 119 *atque hoc dico prius: si neminem alium potero, tuum tangam patrem;* cfr. Draegerus l. l. p. 216.

7. De ellipsi.

I. *Africanae* omisso ex cottidiana consuetudine *bestiarum* vocabulo (cfr. Varro de ling. lat. VII 40 et O. Weisius 'd. griech. Woert. im Lat.', Lips. 1882, p. 100. 105) legitur VIII 8, 10 *si mihi non dedisset* (Curio) *eas, quae ad ludos ei advectae erant Africanae;* pariter Livius XLIV 18, 8 *sexaginta tres Africanas lusisse* aliique, quos enumerant Draegerus I p. 60 et Georges lex. s. v. optimo igitur iure Wesenbergius et Lehmannus Quaest. Tull. p. 11 Baiteri sententiam respuerunt, qui in praef. epp. ad Att. p. VIII *feras* vel *pantheras* pro *eas* scribi iubet. de collocatione verborum vide infra c. V.

Saepius omittuntur verba.

Sermonis familiaris est verbi *faciendi* detractio in talibus sententiis, qualis est VIII 6, 1 *neque enim stulte Appius* sc. fecit; cfr. Horat. sat. I 2, 90 *hoc illi recte* sc. faciunt, ibid. 4, 136 *hoc quidam non belle* quaeque Kiesslingius et Fritzschius ad utrumque locum adnotaverunt.

Nullum facilius in epistulis omittitur verbum quam *scribere;*

nihil igitur est, cur cum Wesenbergio (emend. alt. p. 23) id inseramus VIII 13, 2 *quemadmodum hoc Pompeius laturus sit cum cognoscam,* sc. scribam; cfr. Lehmannus l. l. p. 6 et supra p. 27.

Dicendi verbum audiendum est VIII 10, 2 *nuntii varios sermones excitarunt: alius enim Pompeium mittendum, alius ...., alius ..., nemo tamen .. privatos* sc. dicit mittendos esse; item ibid. 1, 4 *crebri et non belli de eo rumores .... veniunt: alius equitem perdidisse, alius ....* sc. dicit.

Ex *negare* noto illo in contrariis orationis membris genere loquendi, de quo vide Madvigium ad Cic. de fin. II 25 et Seyffertum ad Lael. p. 387 edit. alt., in altero membro sumendum est *dicere* VIII 10, 4 *illud addo ad actiones C. Curionis, de agro Campano, de quo negant Caesarem laborare, sed Pompeium* (dicunt) *valde nolle,* scil. divisionem omitti, cfr. Manutius ad h. l., quem Orellius et Baiterus secuti sunt. sed durissime sane hic auditur sententia negativa 'divisionem omitti', cumque nulla causa fingi posse videatur, cur Caelius tam contorte dixerit, haud scio an recte Lambino obsecutus Wesenbergius *nolle* in *velle* mutarit, ita ut, quod multo proclivius est, haec fere supplenda sint: *Pompeium* (dicunt) *valde velle* scil. agrum quam celerrime dividi.

Offendunt Wesenbergius (cfr. emend. alt. p. 18) et Streicherus (comment. philol. Jen. III p. 211) in omisso verbo *attinet* VIII 1, 4 *quod ad Caesarem* iubentque adici, quia Caelius semper alibi in hac locutione verbum hoc posuerit, cfr. VIII 2 2; 3, 2; 4, 3; 5, 1; 10, 1 et 5; *quod pertinet* 8, 4. nec tamen fidem mihi fecerunt. nam ut omittam, quod in scriptore, cuius septendecim tantum epistulae extant, admodum lubricum est omnia ad unam eandemque legem exigere velle, satis defenditur ista ellipsis cum exemplis similis modi (*quid ad me?* al.) a Lehmanno l. l. p. 10 congestis, tum loco ipsius Ciceronis, qui, cum persaepe pleniore formula utatur, tamen ex vulgari usu verbum omittit ad Quint. fr. III 1, 7 *quod ad Pomponiam, si tibi videtur, scribas velim.* ceterum in eadem locutione verbum *attinet* omittitur etiam a Varrone de ling. lat. V 57 *quod ad loca quaeque eis coniuncta fuerunt, dixi; nunc* e. q. s., et in Dig. de acquir. rer. dom. XLI 1 *nec interest, quod ad feras bestias et volueres, utrum in suo fundo quisque capiat an in alieno;* cfr. Hofmannus Cic. epist. select. I p. 118 edit. quint.

Verbi *substantivi* hae formae omittuntur: *est* semel VIII

11, 3 *scaena rei totius haec;* nam quod in Med. legitur VIII 4, 4 *inde interrogatus* (Pompeius) *de successione C. Caesaris, de qua . . . placitum est* e. q. s., recte, opinor, Orellius, Baiterus, Wesenbergius olim (cfr. emend. p. 16 adn.; nunc codicis scripturam tuetur) de Lambini sententia post *interrogatus* verbum *est,* quod post syllabam finalem *us* saepissime etiam alibi omitti solet (cfr. Madvigius advers. crit. II p. 278. 607, opusc. acad. I p. 448), reposuerunt. *esse* deest in infinitivis futuri activi semper, in perfecti passivi saepe (exceptis VIII 9, 1 *ausum esse,* 5 *questum esse*; 2, 1 *captus esse;* 15, 1 *pasti e.*), item in gerundivi praeter VIII 8, 1 *esse dicendam* et 14, 3 *conferendum esse.* nihil igitur est, quod cum Wesenbergio VIII 13, 2 *transierant illuc rationem eius habendam* ante *eius* infinitivum *esse* inseramus; cfr. etiam VIII 9, 5 *hanc sententiam dixit nullum hoc tempore senatus consultum faciendum.* nec rectius idem Wesenbergius dubitavit emend. alt. p. 19 de Medicei scriptura VIII 3, 1 *dissimulare me certiorem quam se candidatum* post *se* excidisse *esse* suspicatus; nam cfr. praeter locum quem ipse attulit Ciceronis ad fam. VII 33, 2 *probare se liberum* etiam Tusc. I 13 *ego autem non commemini, antequam sum natus, me miserum* et quae ad h. l. Kuehnerus adnotavit.

Pronomina subiecti loco in constructione accusativi cum infinitivo posita, ut optimus quisque scriptor haud raro (cfr. Schmalzius 'Festschr.' p. 91), ita Caelius quoque omisit his locis: VIII 1, 4 *alius equitem perdidisse* (dicit) sc. eum, h. e. Caesarem; ibid. 6, 3 *Pompeius dicitur valde pro Appio laborare, ut etiam putent alterum utrum de filiis ad te missurum* sc. eum; ibid. 10, 2 *honeste, sive neglegentia sive inertia est sive ille quem proposui metus, latet sub hac temperantiae existimatione nolle provinciam* sc. eos, i. e. consules; fragm. orat. ap. Quintil. VI 3, 41 *Siculi quidem . . . dicebant in delphino sedisse* sc. eum. itaque fortasse recte defendit Schmalzius 'Festschr.' p. 91 pronominis quod est *me* detractionem quamvis duram et molestam VIII 3, 1 *vici? et tibi saepe, quod negaras discedens curaturum, litteras mitto?,* ubi nunc de Lambini coniectura *me* ante *negaras* inseritur.

Notissimum est praepositionem ante demonstrativum positam ante relativum omitti posse, si idem verbum auditur, cfr. Madvigius ad Cic. de fin. I 32 et 49. recte igitur Wesenbergius et Schmalzius ('Festschr.' p. 91) Medicei scripturam VIII 9, 2 *in eandem condicionem quam ceterae provinciae vocantur*

a Bentivolii coniectura, qui *in quam* iubet scribi adprobante Baitero, vindicaverunt.

Hic adiungere liceat notabile illud asyndeton adversativum e sermone familiari desumptum VIII 1, 4 (haec incerta) *palam secreto narrantur*, i. e. 'werden als öffentliches Geheimniss erzählt'; quem ad locum proxime accedit Ciceronis illud ad Att. I 14, 4 *hic dies me valde Crasso adiunxit, et tamen ab illo* (Pompeio) *aperte tecte quicquid est datum libenter accepi.* de toto hoc genere loquendi in primis vitae cottidianae proprio multi disputaverunt, velut Landgrafius annal. gymnas. Bavar. vol. XVI p. 324, Lehmannus quaest. Tull. p. 23 ss., S. Preussius 'de bimembris dissoluti apud script. rom. usu solemni', Edenkob. 1881 (p. 32 s.).

II. Diximus de eis ellipsis generibus, quae, cum linguae latinae naturae propria certisque finibus circumscripta sint, a nullius scriptoris usu abhorrent; restat, ut enumeremus substantivorum verborumque detractiones ex solo epistulari genere dicendi repetendas. nam, ut verbis utar Lehmanni, qui copiose de hac re disputavit l. l. p. 6 ss., 'et tum et nunc ita epistulas scribi adparet, ut, quodcumque eum cui scribimus suo iudicio supplere posse putamus, nostro iure omittere videamur'. itaque, ut Cicero in epistulis, quae quidem ad familiares datae sunt, ita etiam Caelius 'saepe ea verba atque substantiva supplenda reliquit, quae aut quivis nostrum supplet aut Cicero, quippe qui eius rei, de qua scribebat ille, non nescius esset, facile supplebat'. ac primum quidem omittuntur substantiva:

VIII 2, 1 *Certe, inquam, absolutus est,* sc. Mesalla; ibid. 9, 2 *ne frequentiam quidem efficere potuerant* sc. consules; ibid. 15, 1 *nam me, cum expulisset ex Italia Pompeium, constituit ad urbem vocare* sc. Caesar, quod ne cum Wesenbergio inseramus prohibemur comparatis duobus quos antea attuli locis; ibid. 4, 3 *inde Hirrum cuncti iam non faciendum flagitare* sc. aedilem; ibid. 9, 5 *nolo te putare Favonium a columnariis praeteritum: optimus quisque eum non fecit* sc. praetorem. fortasse igitur ne in eo quidem offendendum, quod VIII 14, 1 *quod per iniuriam sibi putat ereptum* supplendum est 'auguratum', quod inserere voluerunt Gronovius, Baiterus, Wesenbergius; cfr. Lehmannus l. l. p. 11. VIII 4, 3 *praetoriis morae quaedam inciderunt* auditur 'comitiis' ex eo quod praecedit *comitiorum dilationes.*

Verba omittuntur VIII 1, 4 *at Domitius cum manus ad os apposuit* sc. narrat, quod facillime ex praecedenti *narrantur*

sumitur; ibid. 2, 1 *sed tum tam bene* sc. explosus est, ut ex orationis nexu cognoscitur.

8. De pleonasmo.

Ex more vulgari pronomina personalia, quibus nulla inest vis aut pondus, redundanter verbis adduntur VIII 1, 1 *ut ego arbitror;* ibid. 10, 3 *nam ego has litteras . . scripsi;* ibid. 13, 1 *deinde . . . ego illum valde amo;* 16, 4 *nam . . . ego prius . . . . ad te percucurrissem;* 9, 1 *sic tu, inquis, Hirrum tractasti?* saepe item locuti sunt comici (cfr. Spengelius ad Ter. Andr. 35), Catullus (Riesius ad LXIV 116), Petronius (Segebadius 'Observ. gramm. et crit. in Petr.', diss. Hal. 1880, p. 8), alii, de quibus vide Schmalzium synt. p. 249, § 1.

Quibus locis exempla adiungam similis, sed optimo cuique scriptori probatae redundantiae pronominum personalium demonstrativa, relativa aut particulas *at*, *hic* similesque excipientium: VIII 4, 3 *has ego tibi litteras;* ibid. 13, 1 *hoc ego de illo existimo;* ibid. 3, 1 *atque hoc ego* [om. Med., supplevit H. Buschius Philol. XXVI p. 359] *eo diligentius factito;* 1, 4 *quos tu nosti;* 11, 3 *quos tu bene nosti;* 6, 3 *hic nos omnes absolvimus;* 8, 1 *at ego . . . occurro;* 15, 1 *ecquando tu . . . vidisti.* de Ciceronis usu cfr. Muellerus ad Seyfferti Lael. p. 547 et Landgrafius ad Cic. p. Rosc. p. 369, de Horatio Fritzschius ad sat. II 3, 62.

Satis redundanter ponitur accusativus cum infinitivo pro solo infinitivo in sententia generali, quae ad quem pertineat per se intellegitur, VIII 16, 2 *nunc te contra victorem Caesarem facere . . . . summae stultitiae est;* similiter, sed admodum paucis locis Cicero dixit, velut ad fam. I 7, 4, quod exemplum adscripsit Hofmannus ad Caelii locum, *esse et tuae et nostri imperi dignitatis . . . . te cum classe atque exercitu proficisci*, porro p. Cael. 21 *vestrae sapientiae tamen est, iudices, non . . . ideo vobis quoque vos causam putare esse iustam;* cfr. etiam Madvigius ad Cic. de fin. III 10 et C. F. W. Muellerus adnot. crit. ad Cic. op. II 3, p. 90, 17. saepius ita locuti sunt comici, de quibus vide Schmalzium annal. gymnas. Berol. l. l. p. 101.

Particularum redundantium haec exempla repperi:

tametsi-tamen VIII 1, 1 *tametsi tu scio . . . tamen in hoc te deprecor* et ibid. 5, 2 *tametsi hac de re puto te constitutum . . . habere, tamen . . visum est;* aliorum scriptorum exempla collegit Thielmannus diss. philol. Argent. II p. 16, cfr. etiam Schmalzius 'Festschr.' p. 92.

ideo quod VIII 15, 2 *ideo*[1]) *quod Intimelii in armis sunt* et ibid. 2, 2 *hoc ideo scripsi quod* e. q. s.; copiose de hac re disputaverunt Woelfflinus Philol. vol. XXXIV p. 142 et Thielmannus l. l. p. 364.

nisi si VIII 15, 1 *nisi si maluit Pompeius Brundisi circumsederi,* quod immerito tolli vult Wesenbergius emend. alt. p. 24 *nisi se* aut *nisi* scribendo, immemor redundantiae in sermone familiari pervulgatae, cfr. Thielmannus l. l. p. 21, Schmalzius progr. Mannh. p. 44, id. ad Reisigii schol. lat. vol. III p. 838 n. 612 d.

Caput III.

De copia verborum.

A. De verborum formatione.

1. de deminutivis.

Vocabulis deminutivis, quae, cum praeter deminuendi vim etiam animi affectus, amorem, festivitatem, contemptionem exprimant, frequentissima fuisse in sermone familiari notum est (cfr. e. g. Naegelsbachius l. l. p. 140 s.), utitur Caelius his:

otiolum VIII 3, 1 *non habeo, ubi*[2]) *delectem otiolum meum* 'meine paar Mussestunden, mein Bischen Musse'; huius vocabuli alterum exemplum non extat. idem cadit in vocem

cohorticula VIII 6, 4 *quoquo modo potuit, sine Parthis Bibulus in Amano nescio quid cohorticularum amisit,* quam posuit Caelius non sine irrisione Bibuli, qui, ut ait Cicero ad Att. V 20, 4, *coepit loreolam in mustaceo quaerere.* conferri potest *copiolae* illud a D. Bruto ap. Cic. ad fam. XI 13 a, 2 novatum.

munusculum VIII 8, 1 *nemini hoc deferre munusculum maluit quam suo accusatori;* bene vertit hoc Georg. lex. s. v. 'niemand wünschte er lieber dieses saubere Angebinde zukommen zu lassen, d. h. diesen Kriminalprocess aufzuhalsen'; eodem vocabulo per iocum utitur Caelius VIII 12, 1 *velle hoc munusculum deferre Cn. Pompeio*, quod ita interpretatur Wielandius 'er gedenke durch diese bösen Händel, die er mir mache, dem Pompeius

---

1) *ideo* auctore Lambino editores; *adeo* Medic., quod frustra, opinor, tueri studet Lehmannus Quaest. Tull. p. 40 s.

2) de hac particula nuper attemptata cfr. Schmalzius in Bursiani annal. philol. XII (1884) p. 45.

einen kleinen Gefallen zu thun', et ibid. 10, 3 *ut aliquid Pompeio tribuat, quodvis quamlibet tenue munusculum;* cfr. etiam P. Meyerus 'de Cicer. in epist. ad Att. serm.', progr. Bayreuth. 1887, p. 39 et 41.

Adiectivum huc referendum est cottidiani sermonis proprium *bellus* VIII 1, 4 *crebri et non belli rumores;* frequentatur id a comicis inque epistulis Ciceronis (Meyerus l. l. p. 44 s.), nec deest apud Catullum, Varronem, Horatium, Petronium, alios; quin extat hodie quoque in linguis romanicis *(bello, bel).*

2. de substantivis in -io et -tor exeuntibus.

Haec quoque substantiva in vitae cottidianae usu adamata fuerunt, utpote quibus pressa et concisa fieret oratio; cfr. Naegelsbachius l. l. p. 161 s., 173 s., Meyerus p. 18 ss. commemoro haec:

explosio VIII 11, 4 *multa transi, in primis ludorum explosiones,* quod vocabulum casu factum est ut alibi nusquam compareat.

successio quinquiens (VIII 1, 2; 4, 4 bis; 5, 2; 9, 2) ita ponitur, ut significet 'Nachfolge im Amte'; haec vocis vis nec vetustioribus nec optimae aetatis scriptoribus nota est, nisi quod praeter Caelium M. Brutus ep. I 17, 2 (cfr. Schirmerus 'd. Sprache d. M. Brut.', progr. Metz. a. 1884, p. 8) habet; saepius apud posteros invenitur, velut apud Suetonium, Iustinum, Florum; cfr. Georg. s. v.

susurrator VIII 1, 4 *crebri et non belli rumores, sed susurratores dumtaxat veniunt;* vulgaris sermonis esse hoc vocabulum inde adparet, quod praeter h. l. tantum in Vulgata et apud scriptores ecclesiasticos extat; cfr. Roenschius 'Itala u. Vulgata', Lips. 1869, p. 59.

3. de adiectivis in -ax, -osus, -arius terminantibus.

De adiectivis in *-ax* exeuntibus E. Ludwigius 'de Petronii serm. pleb.', diss. Lips. 1870, p. 30 haec dicit: 'quamquam etiam a scriptoribus optimis non aliena sunt, tamen in sermone rustico tam crebra est illa formandi ratio, ut in deliciis plebis collocanda sit'; cfr. etiam Landgrafius annal. gymnas. Bavar. XVI p. 277 et 319. atque Caelius quidem habet haec:

nugax VIII 15, 1 *qui tam nugax esset,* quod adiectivum praeterea legitur apud Petronium c. 52, 4 B. et scriptores ecclesiasticos (Roenschius l. l. p. 119); formam priscam *nugas* habet Varro sat. Men. 513 B., *nugacitas* Augustinus; vide Georg. s. v.

efficax VIII 10, 3 *nosti Marcellum quam tardus et parum efficax* sit; abhorret hoc vocabulum ab usu Ciceronis, qui tamen

substantivum *efficacitas* Tusc. IV 31 admittit, et Caesaris, sed increbrescit apud posteros; cfr. Georg. s. v. et H. Georges 'de Vell. Paterc. elocut.', diss. Lips. 1877, p. 29.

Item sermonem vulgarem redolent adiectiva in *-osus* desinentia; cfr. Landgrafius l. l. p. 319, Riesius praef. ad Catull. p. XXVI, Schmalzius ad Sallust. Iug. c. 91, 3. huius generis unum exemplum alibi non inventum enotandum est ex orationis fragm. ap. Quintil. IV 2, 123 *ructuosos spiritus geminare.*

Eadem est condicio adiectivorum in *-arius* terminantium (Landgr. l. l. p. 277, Schmalzius annal. gymnas. Berol. l. l. p. 103), quorum Caelius haec praebet:

viarius VIII 6, 4 *legem viariam;* apud alium quidem scriptorem nusquam invenitur, sed usitatum fuisse in sermone inde patet, quod iam extat in lege agraria a. 643/111 C. I. L. I p. 79 XII *viasiei vicari,* ad quem locum vide Mommsenum ibid. p. 90.

alumentarius VIII 6, 4 *legem alumentariam;* ante Caelium nullo loco, post in inscriptionibus, apud Ammian. Marc., Symmachum, Iuris consultos deprehenditur; cfr. Georg.

fructuarius VIII 9, 4 *agros quos habent fructuarios,* quod idem extat apud Varronem, Columellam, Plinium n. h.; cfr. Stuenkelius 'de Varron. verbor. format.', diss. Argent. 1875, p. 50, Georg. s. v.

columnarius VIII 9, 5 *nolo te putare Favonium a columnariis praeteritum* dicitur de plebe, quae in foro ad columnam Maeniam versabatur; huius quidem usus alterum exemplum non inveni, sed videtur e sermone plebeio desumptus.

hordearius per translationem a Caelio adhibetur 'wie Gerste aufgebläht' ad oratorem tumidum significandum in oratione quam pro se habuit, cfr. Suet. de gramm. et rhet. c. 2 p. 123 Reiff. *L. Plotium Gallum M. Caelius . . . significat dictasse Atratino accusatori suo actionem subtractoque nomine hordearium eum rhetorem appellat deridens ut inflatum et levem et sordidum.* meminisse videtur Caelius Dinarchi oratoris, quem iocose *κρίθινον Δημοσθένην* adpellabant; cfr. Blassius 'd. attische Beredsamk.' vol. III p. II, p. 277. vi propria extat *hordearius* apud Plinium n. h. et Iuris consultos, cfr. Georg. s. v.

4. de verbis frequentativis et compositis.

a. Verba frequentativa quae nominantur notum est latissime patuisse in sermone cottidiano, sed raro in universum neque

sine iusta causa ab optimis scriptoribus esse adhibita, cfr. Woelfflinus Philol. XXXIV p. 157 et in archio IV p. 197 ss., Landgrafius l. l. p. 320. de eis autem quibus utitur Caelius haec digna sunt quae commemorentur:

noscito in orat. fragm. ap. Quint. IV 2, 123 *quarum cum omnium vocem tactumque noscitaret;* quo verbo abstinuerunt Cicero, Caesar, Sallustius, sed admiserunt comici, Catullus, Livius, sed hic quidem praeter paucos locos in prima tantum decade (cfr. Woelfflinus ad Liv. XXII c. 6, 3 et in archio l. l. p. 208), Tacitus, alii; cfr. Georg. s. v.

cursito VIII 3, 1 *ad quem cursitem;* cetera huius duplicis frequentativi exempla haud ita multa collegit Thielmannus l. l. p. 452.

b. Verba cum praepositione *dis-* composita, si non segregandi, sed exaggerandi vis praepositioni inest, sermoni vulgari attribuenda esse docent Landgrafius l. l. p. 321, Schmalzius progr. Mannh. p. 43, C. Neumannus 'de composit. a dis (di) incipient. ap. prisc. script. vi et usu', diss. Ien. 1885, p. 7 et 27. talia verba apud Caelium duo invenimus:

discupio VIII 15, 2 *te videre et omnia intima conferre discupio,* quod verbum frequentatum certe in sermone rarissime apud scriptores extat; praeter Caelium enim bis tantum legitur apud Plautum Trin. 932 et Catullum CVI 2.

discrucior VIII 3, 1 *non esse te, ad quem cursitem, discrucior;* saepe hoc verbo utuntur comici (cfr. Lorenzius ad Pseud. 1201), semel Catullus LXVI 76, item Cicero ad Att. XIV 6, 1, qui habet etiam activum *discrucio* p. Rosc. Am. 31 et Phil. XIII 37; cfr. Landgrafius l. l. p. 321 et Meyerus l. l. p. 36.

c. Dudum viderunt viri docti homines de plebe, quo gravius insignirent notionem quae est in verbo, verba cum praepositionibus *con-*, *de-*, *ex-* composita usurpasse, cum elegantiores scriptores omni plebeia exaggeratione reiecta simplicia in suum usum reciperent; cfr., ut mittam ceteros, Schmalzius annal. gymnas. Berol. l. l. p. 110. huc referendum est

concerpere VIII 6, 5 *ferventissime concerpitur,* hoc uno loco translate cum vi quadam pro usitato illo simplici verbo *carpendi* positum.

Frequenti autem illa compositorum usurpatione praepositionis vis paullatim ita attenuata est, ut in sermone plebeio saepe nihil intersit inter verba composita et simplicia; cfr. Landgr. l. l. p. 321. quae cum ita sint, nihil, opinor, in eo

offensionis est, quod Caelius dixit VIII 17, 2 *nostri valde depugnare et facile algere et esurire consuerunt,* quo loco Bootius 'observ. crit. ad M. Tull. Cic. epp.', Amstelod. 1880, p. 19 *valde pugnare* scribi mavult; nam *depugnare,* ut saepe ab auctoribus bell. Hisp. et Afric. (cfr. Koehlerus act. sem. Erlang. I p. 385 et Froehlichius 'd. bell. Afric. sprachl. u. sachl. behand.', diss. Turic. 1872, p. 21), sic etiam hic ita positum est, nihil ut differat a simplici verbo *pugnandi.*

B. De singulis vocabulis.

1. de substantivis.

confidentia VIII 8, 9 *illa, quae maxime confidentiam attulerunt hominibus;* anticum usum retinet Caelius, nam *confidentia* a priscis tantum scriptoribus eodem modo quo hic ponitur, ut significet 'festes Vertrauen'; cf. Plaut. Most. 350, Asin. 547, Mil. gl. 228 *(confidentiast = confido)* et vide Georg. et Antibarb. s. v.; apud Ciceronem[1]) et posteros semper habet vituperationem significatque 'Keckheit, Dreistigkeit', cfr. quae Cicero dicit de adiectivo *confidens* Tusc. III 14 *qui fortis, idem est fidens, quoniam confidens mala consuetudine loquendi in vitio ponitur.*

expectatio prorsus insolenter dicitur, si fides haberi potest libris, pro *cunctatione* VIII 9, 1 (Hirrus) *expectationem corripit,* quod ita interpretantur Hirrum corripuisse nonnullorum cunctationem Gallias Caesari detrahendi (cfr. Wesenbergius emend. alt. p. 21); sed non sine causa Madvigio advers. crit. III p. 160 verba corrupta videntur, quamquam quod vir sagacissimus reponi vult *expectatione corripit Curionem,* hoc artificiosius est, quam ut a Caelio scriptum putem.

fabula VIII 8, 1 *ut ... illam fabulam narrem* 'dass ich d. saubere Histörchen erzähle' (Wieland.) ex vitae cottidianae consuetudine posita videtur; nam similiter comici locuti sunt *quae haec est fabula?* 'was ist das für eine Geschichte?', cfr. Spengelius ad Ter. Andr. 747.

lomentum et *nitrum* audacius nec usitate transferuntur VIII 14, 4 *persuasum est ei censuram lomentum aut nitrum esse; errare*

---

1) semel hic vocabulum antiquo more posuit, sed in eo libro, in quo priscum usum consulto imitatus est (cfr. Koehlerus act. sem. Erlang. I p. 379 adn. et Landgrafius diss. Wirceb. 1878, p. 30 adn.), de re publ. III 42 M. *duas sibi res ... confidentiam et vocem defuisse.*

mihi videtur; nam sordes eluere vult e. q. s. 'eine Art Waschmittel oder Lauge'. ad cuius loci similitudinem aliquam accedit Ieremiae illud a Manutio ad h. l. adnotatum II 22 *si laveris te nitro . . . maculata es iniquitate tua coram me, dicit dominus Deus,* quem locum imitatur Hieronymus ep. 47 *cavenda macula, quae nullo nitro . . . elui potest.*

offensae vox a Ciceronis consuetudine abhorruisse eiusque aetate nisi in sermone communi non usurpata esse videtur; extat enim tantum modo in epistulis aequalium, ad Att. IX 2a, 2 (verba sunt Attici) *quod negas te dubitare, quin magna in offensa sim* et apud Caelium VIII 16, 2 *quod offensae fuerit in ista cunctatione;* posteriore autem tempore satis increbruit, cfr. Meyerus l. l. p. 17.

recessus VIII 10, 1 *exiguitas copiarum recessum . . . praesagiebat;* rarissime hoc vocabulum a bonae aetatis scriptoribus, ut hoc loco, de copiis se recipientibus dicitur; unum enim modo exemplum similis, non eiusdem usus inveni apud Caesarem b. g. V 43, 5 *recessum primis ultimi non dabant.* recentissimorum demum est *recessui canere* pro *receptui canere;* cfr. Antib. et Forcell.-De Vit. lex. s. v.

scaena translata significatione usurpatur VIII 11, 3 *scaena rei totius haec* 'd. ganze Komödie läuft dahinaus' (Naegelsb. l. l. p. 420); eodem modo locuti sunt Petronius c. 117 *ne quid scaenae deesset,* Tacitus ann. XIV 7 extr. *ipse scaenam ultro criminis parat,* Apuleius, alii; cfr. Kretschmannus 'de latinit. L. Apulei', diss. Regimont. 1865, p. 70 et Georg. s. v.

simia VIII 12, 2 *simiae vultum subire;* est vocabulum in pervulgatis Romanorum maledictis extatque apud comicos, Vatinium ap. Cic. ad fam. V 10a, 1, Horatium sat. I 10, 18; similiter Cicero ad fam. VII 2, 3 *hic simiolus;* vide Schmalzium progr. Mannh. p. 41 et Brixium ad Mil. gl. 989.

sopor bis legitur in orat. fragm. ap. Quint. IV 2, 123 (offendunt) *temulento sopore profligatum* et ibid. § 124 *semisomno sopore . . . iactabatur;* poetarum haec vox in primis est eorumque qui illos imitati sunt, Livii, Curtii, Plinii n. h., Taciti; cfr. Antib. et Georg.

tricae VIII 5, 2 *ut in his tricis moretur*[1]); sermonis vulgaris hoc substantivum proprium est ideoque in primis a poetis comicis et satiricis inque epistulis (Cic. ad Att. X 8, 9)

---

1) cfr. quae diximus p. 13 s.

usurpatum; optime nuper de eo exposuit Ribbeckius in Studiorum Lipsiensium vol. IX p. 339 ss., cfr. etiam Schmalzius l. l. p. 42 s. et Meyerus l. l. p. 15 s. (adde Petron. c. 53 *merae tricae.*).

tumultus cum propria significatione esset bellum subito ortum aut domesticum aut Italiae finitimum (Cic. Phil. VIII 3), iam Ciceronis aetate latius patebat, ita ut diceretur de bello in qualibet provincia hostium incursione excitato; cfr. Heraeus ad Tacit. hist. IV 13, 10 et Landgrafius ad Cic. p. Rosc. p. 159. sic Parthorum incursionem intellegit Caelius VIII 10, 1 *ne quod hic tumultus dignitatis tuae periculum afferret* itemque Cicero ad fam. XV 1, 2 *magnum tumultum esse in provincia Syria excitatum;* de bellis Punicis voce utitur Horatius c. IV 4, 47, ad quem locum cfr. Kiesslingii adnot.

veternus VIII 6, 4 *veternus civitatem occupasset* (cfr. etiam ad fam. II 13, 3, ubi Cicero Caelio respondens metaphoram eius repetit, *erat in tua epistula 'veternus civitatis'*) audacius a Caelio ad res transfertur, ut post a Vergilio Georg. I 124 *nec torpere gravi passus sua regna veterno;* de hominum segnitia et inertia vocabulum posuerunt Catullus XVII 24 et Horatius ep. I 8, 10; cfr. etiam Terent. Eun. 688 *veternosus senex.*

2. de adiectivis.

candidus translata significatione pro *integer, probus* dicitur VIII 6, 1 *ne ... candide posuisse inimicitias videaris;* abhorret haec notio ab optimis scriptoribus, sed saepius invenitur apud poetas et scriptores argenteae quae dicitur aetatis; cfr. Fritzschius ad Horat. sat. I 5, 41, Antibarb. s. v. candor, Georg. s. v.

fervens (participium adiectivi munere fungens) absolute positum sermonis vulgaris esse videtur, cfr. Suepflius ad fam. X 23, 3. bis reperitur apud Caelium VIII 6, 5 *ferventissime concerpitur* et ibid. 8, 2 *de damnatione ferventer loqui est coeptum;* similiter Plancus ap. Cic. ad fam. X 23, 3 *ab illis ferventibus latronibus* ('hitziges, wutentbranntes Raubgesindel' Naegelsb. l. l. p. 455). valde in deliciis habet hoc verbum Augustinus, quem *laudes ferventer lucentes, ferventius exercere, rogare, agi* dixisse testis est Georg. s. v. ferventer.

prognatus VIII 15, 2 *Venere prognatus* vox a Ciceronis consuetudine aliena in primis poetarum et recentiorum scriptorum est, cfr. Ebrardus annal. philol. suppl. vol. X p. 586 et Georg. s. v.; bis tamen legitur apud Caesarem b. g. II 29 et VI 18.

saucius dicitur de eo, qui iudicio nec damnatus nec absolutus est, VIII 8, 3 *Servilius de damnatione saucius Pilio tradetur* 'schon halb geschlagen'; alterum huius translationis exemplum non inveni; nam suo nomine vocantur illi *ambusti, semusti,* cfr. Naegelsb. l. l. p. 456.

subrostranus, quod adiectivum alibi nusquam extat, VIII 1, 4 *subrostrani dissiparant* de 'hominibus infimi ordinis sub rostris versari solitis' (Manutius ad h. l.) ponitur, quos eosdem Plautus Capt. 814 *subbasilicanos* adpellat, reiecta voce hibrida Cicero p. Caec. 14 *contritos ad regiam;* cfr. Klotzius art. lat. p. 144.

summus ad tempus refertur VIII 12, 3 *summis Circensibus ludis meis,* h. e. 'extremis diebus Circensium ludorum meorum' (Manut.); eodem modo dixit Asinius Pollio ap. Cic. ad fam. X 32, 2 *summo ludorum die;* non est Tulliana haec vocabuli vis, sed in primis poetarum et posteriorum propria; cfr. Schmalzius 'Festschr.' p. 93.

tralaticius VIII 5, 2 *nosti haec tralaticia* 'du kennst d. gewöhnlichen Gang der Dinge'; eadem significatione recentiores hoc adiectivum usurpant, velut Petronius, Phaedrus, Suetonius, Plinius epp., Gellius (cfr. Georg.), sed nusquam, ut videtur, bonae aetatis scriptores, qui tantum ponunt de edicto magistratuum provinciam administrantium; cf. Cicero Verr. I 114. 117, ad fam. III 8, 4, ad Att. III 23, 2 et vide Georg. s. v. et Meyerum l. l. p. 26, cuius tamen de Cic. ad fam. III 8, 4 iudicium valde miratus sum; nam adiectivum hoc quoque loco de edicto dici luce clarius est.

Per ludibrium novavit Caelius adiectiva *coa* et *nola* in oratione, quam pro se de vi habuit, Clodiam *in triclinio coam, in cubiculo nolam* adpellans (Quint. VIII 6, 53), quo diceret illam in triclinio cum moechis rem habere, sed maritum in cubiculo aspernari; nam *coam* pro *coeuntem, nolam* pro *nolentem* dictum et adiectiva loco participiorum ideo posita esse, quod res non semel commissa significaretur, perspexit Westphalius 'd. Gedichte d. Catullus' p. 105; cfr. etiam Wegehauptius l. l. p. 11 adnot. 3 et Harneckerus 'Berl. Philol. Wochenschr.' IV p. 227. de forma autem vocabulorum adnotandum est adiectiva hunc in modum a verbis derivata praeter Caeliana nulla fere inveniri nisi composita cum nominibus, ut *blandi-dicus, cruci-salus, falsi-locus, mero-bibus* Plautina (cfr. Langenus 'Beitr. z. Krit. u. Erklär. d. Plaut.' p. 165 s.), *multi-volus, omnivolus* Catulliana, alia.

3. de vocabulis graecis.

Probatissimi Romanorum scriptores quamquam id in primis egerunt, ut reiectis vocabulis peregrinis pure loquerentur, tamen in tanta cum Graecis coniunctione fieri non potuit, quin, cum sermone remisso parumque accurato uterentur, graeca vocabula in usum suum reciperent. itaque factum est, ut etiam Cicero, cum ad sermonem familiarem descenderet, in epistulis ad Atticum datis, haud raro vocabula graeca aut ipsa admisceret orationi aut in sermonem latinum transferret (cfr. nunc Meyerus l. l. p. 56 ss.). neque aliter Caelius, quamquam hoc rarius facit; neque enim huc referenda sunt vocabula ea, quae aut satis iam trita erant aut, quo tempore Romani cum Graecis Asiae colentibus in negotiorum commercia venerunt, in usum recepta sunt, velut *moechus, scaena, strangulo, syngrapha* (de hac voce cfr. Naegelsb. l. l. p. 17 et O. Weisius 'd. griech. Lehnwört. im Lat.', Lips. 1882, p. 265). sed graecis vocabulis utitur Caelius his: VIII 3, 3 *aliquod ad nos . . . σύνταγμα conscribas* et ibid. *quod et ad nos pertineat et διδασκαλίαν quandam habeat;* item Cicero, cum de litteris sermo incidit, graeca interponit, velut σύνταγμα ad Att. XII 45, 1, XVI 3, 1, ὑπόμνημα, σύνταξις, alia.

politicus VIII 1 extr. *tui politici libri omnibus vigent;* semel hoc adiectivo utitur Cicero, sed ita ut excusatio ei parata sit, de orat. III 28, 109 *politici philosophi a Graecis appellati,* cfr. Naegelsb. l. l. p. 22; praeterea non invenitur nisi apud Macrobium comment. in somn. Scip. I 8, 5 *politicae virtutes.*

Graecum vocabulum latet sub verbo corrupte tradito *embaeneticam* VIII 1, 4 *ego qui scirem Q. Pompeium Baulis † embaeneticam facere;* quod ut restituerent alii alia suspicati sunt. Turnebus coniecit *empeneticam* i. e. ἐμπεινητικήν a verbo * ἐμπεινάω (valde esurio) ductum, eundem fere in modum Klotzius *peneticam* (πεινητικήν) sc. artem, quod ita interpretatur Georges s. v. 'eine Hungerkur gebrauchen, aufs Trockene gesetzt sein'; longe aliter Schuetzius collato loco ad Att. XIII 52, 1 scribendum censet *emeticam* (ἐμετικήν). verum emendationem viri docti nondum adsecuti mihi videntur.

4. de pronominibus.

Pronomen *istic* adverbiaque ab eo derivata cum in primis viguerint in sermone familiari (cfr. Koehlerus act. sem. Erlang. I p. 414), haud paucis locis usurpat Caelius: *istuc* (neutr.) VIII

3, 1; *istoc* (adv.) 4, 1; 8, 10; 9, 4 (*isto* 9, 3; 15, 2); *istic* 7, 1; 10, 2 et 3; 17, 2; *istinc* 7, 1; 8, 10. de ceteris scriptoribus cfr. Schmalzius progr. Mannh. p. 42, Thielmannus annal. gymnas. Bavar. XVI p. 212, Ebrardus act. sem. Erlang. II p. 327.

Pronominis quod est *uterque* numerus pluralis, quamquam de duobus tantum agitur, ex vitae cottidianae consuetudine ponitur VIII 11, 1 *plane quod utrisque consulibus gratias agas est;* cfr. Schmalzius synt. p. 385, id. ad Reisigii schol. lat. vol. III p. 30 n. 337.

Eadem significatione atque *οἱ ἄλλοι alii* dictum est VIII 2, 1 *quid alios putas?* cuius usus apud Ciceronem quidem prioresque scriptores haud ita frequentis exempla post alios collegerunt Draegerus I p. 104 et Schmalzius ad Reisigii schol. lat. vol. III p. 46 n. 348.

Relativum *quod* cum *utinam* coniunctum raro inveniri docent Draegerus II p. 520 d, Kuehnerus II p. 873, Schmalzius ad Sall. Iug. 14, 21; eo modo semel Caelius dixit VIII 17, 1.

Demonstrativum *hic* neglegentius et plane ex sermonis familiaris usu liberiore ita ponitur, ut referatur ad res longius remotas aut non verbis expressas, sed ex sententiarum contextu sumendas VIII 3, 1 *ut ... quam primum nuntium accipias* (de Hirro), *tua medius fidius magis quam mea causa cupio, ... sed hoc usque eo suave est,* h. e. Hirrum repulsam ferre; ibid. 8, 9 *alteram utram ad condicionem descendere vult Caesar, ut aut maneat neque hoc anno sua ratio habeatur,* h. e. eo anno, quo consulatum petere debebat, cfr. Hofmannus ad h. l. vitiosum vero est quod ibid. 11, 1 traditur *confirmarunt consules se his supplicationibus non usuros,* cfr. Mendelssohnius annal. philol. vol. CXXXIII p. 66. similis neglegentiae exempla haud rara inveniuntur apud Cornelium Nepotem; cfr. Lupus 'Sprachgebr.' p. 114 et adn.

5. de verbis.

Calficere more cottidiano dictum est VIII 6, 4 *si Parthi vos nihil calficiunt,* 'wenn euch d. P. nicht warm machen'; item Cicero ad Quint. fr. III 2, 1 *eodem die Gabinium ad populum luculente calfecerat Memmius,* ad fam. XVI 18, 2 *calface hominem,* fragm. p. 298 VI 3 ed. Muell. *nos Ventidianis rumoribus calficimur;* cfr. etiam Naegelsb. l. l. p. 419. eodem referendum est

calere VIII 6, 5 *quod tibi supra scripsi Curionem valde frigere, iam calet,* quocum apte conferes Cic. ad Att. VII 20, 2 *haec velim explices ... etsi te ipsum istic iam calere puto,* 'der

4*

Kopf dir warm genug sein mag', eund. ad fam. VII 10, 2 *vos nunc istic satis calere audio,* 'heiss genug bekommen'.

conglaciare VIII 6, 3 *Curioni nostro tribunatus conglaciat,* 'friert ein, geht unthätig vorüber'; simili verbo utitur Cicero Caelio respondens ep. ad fam. II 13, 3 *congelasse nostrum amicum laetabar otio;* inusitate tamen et hoc et illud verbum translatum est, ut sit *refrigescere, frigere,* quod Caelius ipse habet VIII 6, 5 *Curionem valde frigere;* cfr. etiam W. Haeggstroemius 'de aliquot translation. Ciceron. generibus', diss. Upsal. a. 1861, p. 13.

contristare 'betrüben' verbum ab optimorum scriptorum usu alienum primum apud Caelium comparet VIII 9, 5 *contristavit haec sententia Balbum Cornelium,* saepius invenitur apud posteros ut Columellam, Senecam phil., Plinium n. h., Rutilium Lupum, in primis in Vulgata; cfr. Antib. s. v. et Landgrafius annal. gymnas. Bavar. XVI p. 278.

corripere per translationem dicitur 'scharf tadeln' VIII 2, 1 *clamoribus maximis iudices corripuerunt* (ibid. 9, 1 *expectationem corripit,* at cfr. quae diximus p. 46); eadem notione semel extat apud Caesarem b. c. I 2 *omnes convicio consulis correpti exagitabantur,* saepissime autem apud recentiores scriptores; Cicero verbo non utitur nisi propria significatione, cfr. Antib. et Georg. s. v.

cruciari Caelius comicos sermonemque cottidianum secutus (vide Georg. s. v.) ita ponit, ut vim medii habeat 'sich abquälen, abmühen', VIII 7, 1 *de belli Parthici periculo cruciabor, ne* e. q. s.; eodem modo locuti sunt Cicero pro Mur. 88 *quae misera* (mater) .... *nunc cruciatur et sollicita est, ne* e. q. s., Balbus ap. Cic. ad Att. VIII 15 A, 2 *cave putes hoc tempore plus me quemquam cruciari,* alii, cfr. Meyerus l. l. p. 35.

decutere paulo insolentius transfertur, ut sit *excutere* (cfr. Naegelsb. p. 426) VIII 13, 1 *cetera porro ... aetate iam sunt decussa* [corr. Coluc. Salutat.; Med. *de causa*]; pariter Avianus fab. XI 12 *non timor ex animo decutiendus* [*discutiendus* al.], similiter Seneca cons. ad Marc. 18, 8 *ad id non accedes, ex quo tibi aliquid decuti doles* (Georg. s. v.).

deicere, quod dicitur si quis aut honore aut honoris spe depellitur, inusitatius absolute positum est VIII 4, 3 *M. Coelium Vincinianum mentio illa fatua ... subito deiecit;* cuius quidem usus unum modo praeterea exemplum deprehendi apud Livium XXXVIII 35, 1 *cum M. Aemilium Lepidum inimicum eo quoque anno deiecisset.*

decedere cum in primis is dicatur, qui ex provincia domum redit (cfr. VIII 8, 9, ibid. 10, 5 *decessus*), recte nunc pro *decedens*, quod est in Mediceo, *discedens* scribitur VIII 1, 1 *quod tibi discedens*[1]) *pollicitus sum*, i. e. 'als ich mich von dir trennte, beim Abschiede', et ibid. 10, 5 *qua obtestatione discedens mihi ... mandaris*, i. e. 'cum in Ciliciam profectus es'; cf. etiam VIII 6, 2 *discedens mandaris* et ibid. 3, 1 *negaras discedens* et vide Wesenbergium emend. p. 93, Leutschium Philol. vol. XXIV p. 730.

se erumpere VIII 14, 2 *illi amores et invidiosa coniunctio .... ad bellum se erumpit* loco verbi *erumpendi* intransitive positi rarum maximeque poetarum est; nam praeter Caesarem b. c. II 14 *portis se foras erumpunt* habent Attius v. 287 p. 173 R. *ita imperitus stupiditate erumpit se*, Lucretius IV 1108 *tandem ubi se erupit nervis coniecta cupido*, Vergilius Georg. I 445 et IV 368; cfr. Manutius ad Caelii epist. l. l., Georg. s. v.

excandescere, ut VIII 12, 2 *id postquam resciit, excanduit*, ita semel a Cicerone Tusc. IV 43 *ira excanduit fortitudo* (cfr. Haeggstroemius l. l. p. 7) translate positum est, persaepe vero a posterioribus, velut a Columella, Petronio, Seneca, Suetonio, aliis; cfr. lex.

formidare cum apud optimos itemque apud recentiores scriptores semper transitivam vim habeat 'fürchten', ab uno Caelio ex antiquo more (Plauti, cfr. Georg. s. v.) intransitive ponitur 'sich fürchten' VIII 10, 1 *neque prius desinam formidare*.

introire singulariter dicitur VIII 5, 2 *eadem actio de provinciis introïbit*, quocum quod posset comparari nihil deprehendi, nisi quod similiter a recentioribus scriptoribus *introitus* de magistratu ineundo ponitur, velut a Plinio epp. X 39, 5 et 112, 3, Suetonio Claud. c. 9, Scaevola digg. 32, 1, 102; cfr. Lagergrenus 'de vita et elocut. Plin. Caecil. Sec.', diss. Upsal. 1872, p. 60.

invocare ita ut significet 'hineinrufen', quae est prima illa quidem, sed paene inusitata verbi notio, posuit Caelius in orat. fragm. ap. Quint. IV 2, 123 *blandius alia ad aurem invocabat* 'rief ihm schmeichelnd ins Ohr'; de structura *invocare ad aurem* cfr. Cic. Verr. V 107 *ad aurem familiariter ... insusurrare*.

---

1) pro *discedens* dubitanter proposuit Wesenbergius emend. alt. p. 18 *discedenti*, qua correctione opus non est; nam prosecutus erat Caelius Ciceronem; cfr. Klotzius prooem. ad Cic. epp. ad fam. p. LIII et Lehmannus Quaest. Tull. p. 58.

iudicare pro eo quod est *diiudicare* 'entscheiden' dicitur VIII 14, 4 *quas ferrum et vis iudicabit;* eadem significatione extat verbum apud Ciceronem ad Att. XV 25 *casus consilium nostri itineris iudicabit* et Phil. XI 34 *cum contra ac Deiotarus sensit victoria belli iudicarit,* quem locum ab Halmio temptatum recte vindicavit C. F. W. Muellerus adnot. crit. ad Cic. op. II 3 p. 519, 7. itaque suo iure Wesenbergius quod olim coniecerat emend. p. 121 quodque Baiterus in textum recepit *diiudicabit* nunc ipse reiecit emend. alt. p. 24; cfr. etiam Lehmannus Quaest. Tull. p. 76.

obtinere Caelius sermonem iudicialem fortasse secutus (Schmalzius synt. p. 265 § 63) absolute posuit VIII 6, 5 (Curio) *de interpellando non obtinuerat* 'konnte nicht durchdringen' (Wiel.); eodem modo Suetonius locutus est Caes. 11 *nec obtinuit* et ibid. 14 *obtinuisset adeo, nisi* e. q. s.; de ceteris scriptoribus nihil repperi.

peragere ex usu sermonis plebeii usurpatum videtur VIII 8, 1 *totum Sempronium usque eo perago* 'bearbeite ihn fort und fort dermaſsen' (Georg.); frequentius tamen est *exagito*, quod ipse Caelius habet VIII 11, 3, aut *agito;* cfr. Pideritus ad Cic. Brut. 109 et lex.

praesagire, quod apud Plautum, Terentium, Ciceronem (cfr. de div. I 65), Livium est 'futura ante sentire', *praedicendi* notionem habet VIII 10, 1 *haec exiguitas copiarum recessum, non dimicationem mihi tuam praesagiebat;* sic locuti sunt poetae et in primis recentiores scriptores, Plinius n. h., Celsus, Apuleius; cfr. Georg. s. v.

proici insolentius transfertur VIII 8, 2 *quo vento proicitur Appius minor, ut indicet* e. q. s., i. e. 'qua iudicii fama (neque enim dubium erat cuiquam, quin Servilius poenam laturus esset) permotus est[1]) App. m., ut e. q. s.'; pro *permoveri* aut similibus Caelius multo gravius verbum ponit *proici,* i. e. agi tamquam procellae impetu.

scaturire translate dicitur VIII 4, 2 *Curio totus hoc scaturit* 'strömt ganz davon über'; similiter Augustinus serm. 9, 18 *vestra vita cottidiana ipsis peccatis scaturiens;* primum hoc verbum e sermone plebeio desumptum apud Caelium deprehenditur, post haud raro in Priapeis, apud Senecam phil., Columellam,

1) cfr. C. F. Hermannus ind. schol. aestiv. Gotting. a. 1853, p. 12; haud recte vertit Georges s. v.: 'in diesem Sturm verlor App. dermaſsen d. Kopf'.

alios; cfr. Woelfflinus in archio lexicogr. I p. 414, Landgrafius l. l. p. 279 et 321, qui tamen in eo errat, quod hoc verbum in numero desiderativorum quae dicuntur ponit, cfr. Woelfflinus l. l. et Wagnerus ad Plaut. Aulul. 464. de structione *hoc scaturit* apte conferes Plaut. Pers. 177 *id tuus scatet animus.*

surgere, cum a superioribus scriptoribus de hominibus tantum dici soleret (vide lex.), Caelius ex usu poetarum eorumque qui illos imitati sunt ad res transtulit VIII 8, 2 *magna ilico fama surrexit;* eodem modo Tacitus hist. II 42 *is rumor ... an surrexerit, parum compertum,* Vergilius Aen. I 582 *sententia surgit,* ibid. XII 313 *discordia surgit,* alii, de quibus vide lex.

testificari, quod apud Ciceronem semper est *testimonio confirmare, ostendere* (cfr. Seyffertus schol. lat. II p. 168 edit. quart.), a Caelio pro *testem facere, testari* ponitur VIII 16, 1 *deos hominesque amicitiamque nostram testificor;* item post locutus est Ovidius Heroid. 20, 162 et Fast. V 250.

transfugere verbum ex castrensi consuetudine, i. e. ex sermone vulgari petitum (cfr. Koehlerus act. sem. Erlang. I p. 388 et Thielmannus diss. philol. Argent. II p. 386) etiam Caelius usurpat VIII 6, 5 *transfugit* (Curio) *ad populum.*

turbare absolute dicitur VIII 8, 2 *postquam omnibus in rebus turbarat,* 'sein ganzes Vermögen in Unordnung gebracht, Bankerott gemacht hatte', (Georg.) pro usitatis illis *conturbare, decoquere,* de quibus vide Naegelsbachium l. l. p. 378.

vapulare 'geprügelt, ruiniert werden', verbum sermonis vulgaris proprium (cfr. Klotzius art. latin. p. 182, Lorenzius ad Pseud. 15, Meyerus l. l. p. 30) per iocum ad rem militarem transfertur VIII 1, 4 *septimam legionem vapulasse.*

velificari translate ponitur pro *operam dare, favere* VIII 10, 2 *ne velificatus alicui dicaris;* quae notio verbi non ita frequens est nec praeter h. l. invenitur nisi apud Ciceronem leg. agr. I 27 *turbulenta ratione honori velificari* et Florum I 9, 5 *velificari favori civium;* cfr. Georg. s. v.

6. de particulis.

At particula utitur Caelius, cum alterius colloquentium responsum refert, VIII 8, 9 *at ille* (Pompeius) *quam clementer: 'quid, si filius meus fustem mihi inpingere volet?'* eodem modo locuti sunt Catullus XLV 10, Cornelius Nepos (Lupus 'Sprachgebr.' p. 125), Curtius (Vogelius praef. p. 46 edit. alt.), in primis Petronius (Segebadius l. l. p. 39), sed nusquam, ut videtur,

Cicero, Caesar, Sallustius; cfr. etiam Draegerus II p. 112 s. et Kuehnerus II p. 689.

equidem VIII 17, 2 *equidem iam effeci* adnotandum ideo est, quod hoc vocabulum, usitatissimum illud quidem in epistulis Ciceronis, rarissime apud eos invenitur, qui ad illum epistulas miserunt; praeter hunc enim locum non extat nisi apud Quintum Cic. ad fam. XVI 16, 2; cfr. Jordanus 'Krit. Beitr. z. Geschichte d. lat. Sprache' p. 320 et Schmalzius 'Festschr.' p. 97.

ergo notabiliter posuit Caelius in initio epist. 17 *ergo me potius in Hispania fuisse tum quam Formiis, cum tu profectus es ad Pompeium* ita, ut referatur ad rem non verbis expressam, sed quae animo obversetur. non ita raro enim in oratione concitata ideoque in primis apud poetas fit, ut sententia conclusiva, qua vehemens animi motus exprimitur, quippe cum praeter cetera emineat, omissis eis ex quibus concluditur in initio periodi ponatur. sic e. g. locuti sunt Propertius III 7, 1 *ergo sollicitae tu causa, pecunia, vitae es,* idem ibid. 23, 1 *ergo tam doctae nobis periere tabellae,* Horatius c. I 24, 5 et sat. II 5, 101 (vide Kiesslingii et Fritzschii adnott.), Ovidius amor. II 7, 1, id. trist. III 2, 1. attigerunt rem, sed non satis distinxerunt Handius Turs. II p. 448, 454 s. et Draegerus II p. 174 et 177.

et particula pro *atque* legitur post *idem* VIII 16, 1 *eandem fore Caesaris in dimittendis adversariis et condicionibus ferendis,* post *alius* ibid. 1, 3 *solet enim aliud sentire et loqui,* cum res similes aut diversae non tam comparentur quam copulentur inter se. non ita frequens hoc genus dicendi, sed vel optimis scriptoribus notum est; cfr. Handius Turs. IV p. 111, 113, Draegerus II p. 28 s., Schmalzius synt. p. 303.

hui, quae est exclamatio animi vehementius commoti (Handius Turs. III p. 109), legitur in oratione vivida VIII 15, 2 *hui vereor.* frequentatur haec vox, utpote quae cottidianae potissimum dicendi consuetudinis propria sit, apud comicos, apud Ciceronem nisi in epistulis ad Atticum datis non invenitur, cfr. Stinnerus 'de eo quo Cic. in epist. usus sit serm.', Oppeln 1879, p. 5.

neque particula, quemadmodum a ceteris scriptoribus (Handius Turs. IV p. 104, Draegerus II p. 71, Naegelsb. l. l. p. 618), sic ponitur etiam a Caelio, ubi ad sententiam contrariam transitus fit ('aber nicht, ohne dass'), VIII 1, 3 *solet enim* (Pompeius) *aliud sentire et loqui neque tantum valere ingenio* 'und hat doch nicht Witz genug' (Wiel.), quo in loco sane mire haesit

O. Streicherus comment. philol. Jen. III p. 211; ibid. 5, 3 *Marcellus idem illud de provinciis urget neque adhuc frequentiam senati*[1]) *efficere potuit* 'hat aber bisher nie d. Senat zusammenbringen können' (Wiel.); ibid. 16, 1 *te nihil nisi triste cogitare ostendisti neque id quid esset perscripsisti*. itaque egregie ipso usu Caeliano confirmatur emendatio Madvigii[2]), qui (cfr. advers. crit. III p. 161) VIII 11, 2 scribendum vidit *decrerant quidam* [qui] *neque transigi volebant, Domitii, Scipiones*, i. e. 'einige hatten (für dein Dankfest) gestimmt, ohne jedoch dessen Zustandekommen zu wünschen, Männer von der Gesinnung eines D., eines Scipio'.

neque non pro *et* dicitur VIII 16, 1 *neque id quid esset perscripsisti neque non tamen . . . aperuisti;* plane eodem ex genere est, quod Cicero habet ad fam. III 12, 2 *neque enim tristius dicere quicquam debeo neque non me tamen mordet aliquid;* nec tamen aliis locis apud Ciceronem *neque non* invenitur nisi ita, ut *non* aut ad verbum aliudve vocabulum referatur aut paucis vocabulis interpositis diiungatur; cfr. Handius Turs. IV p. 111, 113, Landgrafius ad Cic. p. Rosc. p. 221, Schmalzius ad Reisigii schol. lat. vol. III p. 869 s., n. 619 a.

Simplici negandi particula Caelius utitur in respondendo VIII 2, 1 '*ride modo', inquis. non mehercules;* vulgaris hic usus est perrarusque apud optimos scriptores; cfr. Draegerus I p. 136 et Landgrafius l. l. p. 238.

num particula, quae nunc quidem ex Lambini coniectura (cfr. etiam Wesenbergius emend. p. 123 s.) legitur VIII 15, 1 *num* [*nunc* Med.] *tibi nostri milites . . . malis orbiculatis esse pasti videntur?,* valde vereor ne hoc loco stare non possit; neque enim Caelius admiratur quicquam aut expectat negationem, quae est vis particulae (Handius Turs. IV 315 ss., Kuehnerus II p. 1008 s.), sed interrogatione gravius intendit orationem. itaque potius *non* aut *nonne* scribendum esse existimaverim.

parum; recte monet Naegelsb. l. l. p. 278, ne quis VIII 10, 3 *nosti Marcellum quam tardus et parum efficax sit, quam parum* dictum putet pro *quam non* 'wie wenig'; nam est potius illud 'wie langsam und nicht energisch genug er ist'; de

1) ita enim scribendum esse videtur; cfr. quae supra diximus p. 11.

2) in idem incidit Lehmannus Quaest. Tull. p. 93, nisi quod pro *quidam*, quod recte mihi Wesenbergius emend. alt. p. 21 restituisse videtur, Medicei scripturam *quidem* defendit.

parum particulae notione imperatorum demum aetate ita mutata, ut idem significaret atque *non multum,* cfr. Madvigius ad Cic. de fin. V 91.

perquam VIII 4, 2 *videtur mihi illud perquam venuste cecidisse* 'ganz allerliebst' quamquam ab optimorum scriptorum usu non alienum est, frequentius tamen in sermone cottidiano invenitur; cfr. Woelfflinus 'Lat. u. rom. Comparat.' p. 27 et in archio lexicograph. I p. 99, Schmalzius annal. gymnas. Berol. l. l. p. 110.

porro mirum quantum in deliciis habet Caelius; deciens enim usurpat in 17 epistulis, cum Cicero, cuius in hac re usum cum Caeliano non inutile videtur conferre, in epp. ad fam. I, II, III nusquam, ad Att. I, II, III ter (I 5, 3; 12, 2; II 12, 2), atque item ter aequales, qui ad Ciceronem epistulas miserunt, Caecina ad fam. VI 7, 4, Asinius Pollio ibid. X 33, 3, Lentulus XII 14, 5, vocabulo usi sint. ponitur autem eodem modo quo a Cicerone aut 'in rebus enumerandis et ordine disponendis vel narrandis' (Handius Turs. IV 482) VIII 4, 3; 5, 1; 6, 2; 10, 3; 11, 3; 13, 1; 16, 3; 17, 1, aut in concludendo (cfr. Madvigius ad Cic. de fin. II 25, Seyffertus schol. lat. I p. 201) ibid. 8, 1, aut in transitu ad aliquid contrarium significando (Seyffertus l. l. p. 43) ibid. 6, 1.

primum — inde in rerum enumeratione pro usitato *primum — deinde* legitur VIII 10, 3 *Curionem video se dupliciter iactaturum, primum ..., inde* e. q. s. eiusdem generis alterum exemplum non inveni.

proinde — ut VIII 12 extr. *a te peto, ut meas iniurias proinde doleas, ut me existimas* e. q. s. ex more antiquo dictum videtur; nam frequentissime apud Plautum (cfr. Langenus 'Beiträge' p. 295), post non ita saepe invenitur; cfr. Draegerus II p. 633.

quam particula cum positivo adiectivi coniuncta num a Ciceronis eiusque aequalium usu prorsus abiudicanda sit (cfr. Woelfflinus 'Comparat.' p. 72, at contra Jordanus Herm. vol. XIV p. 633), non diiudicaverim, hoc vero mihi certum est abhorrere eam ab usu Caelii. nam quod Jordanus l. l. profert VIII 15, 2 *habeo autem quam multa,* exclamantis sunt haec verba ex sermonis familiaris libertate cum vi quadam et gravitate in fine sententiae posita: 'und o wie viel hab' ich auf dem Herzen' (Wiel.). eodem fere modo Caelius etiam locutus est VIII 8, 9 *at ille quam clementer* 'und zwar wie schonend', itemque Terentius Andr. 136 *reiecit se in eum flens quam*

familiariter!, ad quem locum vide Spengelium et Klotzium, idem Eun. 178 *labascit victus uno verbo quam cito!*, Plautus Asin. 581 *ut adsimulabat Scauream med esse, quam facete.*

Eiusdem particulae nota est significatio, qua non augetur, sed elevatur oratio ('wie' i. e. 'wie wenig'); vide Naegelsb. l. l. p. 277 et Caelium ipsum ita loquentem VIII 10, 1 *quam probabilis necessitas futura esset, vereor etiam nunc* 'wie wenig man dir vermutlich diese Notwendigkeit gelten lassen würde' (Wiel.). itaque certe nihil profecit Baiterus, qui Lambino adstipulatus ibid. 10, 1 *qui scirem quam paratus* [sic cum Medic. Wesenb.] *ab exercitu esses* legi mavult *quam imparatus;* quodsi Cicero ad Att. VII 15, 3 habet *sumus flagitiose imparati cum a militibus tum a pecunia,* quid hoc ad Caelium?

quamlibet significatione concessiva 'noch so sehr' ab optimorum quidem usu remotum inde a Lucretio et Caelio VIII 10, 3 *quodvis quamlibet tenue munusculum* frequentari coeptum est in primis ab Ovidio, Pliniis, Quintiliano, aliis; cfr. Georg. et Antib.

sanequam particulam, admodum raram illam quidem, quippe ex sermone cottidiano desumptam, apud praestantissimos scriptores (Woelfflinus l. l. p. 27 et in archio I p. 99), summopere adamavit Caelius; cfr. VIII 1, 2; 4, 2; 6, 1; 10, 1; 14, 1. frustra igitur Wesenbergius editionem Cratandri secutus VIII 6, 1 *sanequam non ea . . . invidia* vocabulum *quam* delevit.

tamquam — sic (*sic-tamquam*), quod nisi apud Ciceronem vix inveniri putat Draegerus II p. 633, bis habet Caelius, VIII 11, 4 *tamquam procurator sic agas rogo* et in orat. fragm. ap. Quint. VI 3, 39 *sic tamquam Ariona transvectum,* habent etiam Petronius et Seneca phil.; cfr. Schmalzius synt. p. 342. ne illud quidem frequenter, sed tamen dispersim per totam linguae latinae aetatem deprehenditur, quod legimus VIII 4, 4 *ego tamen sic nihil expecto, quomodo Paulum* e. q. s., cfr. Draegerus II p. 632.

valde, quod apud Ciceronem latissime patere, apud ceteros scriptores aut raro aut nusquam inveniri dicit Woelfflinus 'Comparat.' p. 9 s., saepius usurpat Caelius, sed ita, ut semper cum verbo coniunctum sit: VIII 4, 2; 6, 5; 10, 4; 11 3; 17, 2. notabile autem dicendi genus est VIII 4, 2 *quod eum non mediocriter Caesar, qui solet infimorum hominum amicitiam sibi qualibet impensa adiungere, valde contempsit,* quo in loco sententia paulo longiore interposita Caelius, quae est eius neglegentia et festinatio, prioris adverbii (*non mediocriter*) oblitus in alterum (*valde*) incidit.

Caput IV.

De locutionibus.

Familiariter blandientis sunt verba *mel ac deliciae,* quibus per iocum utitur Caelius VIII 8, 1 *C. Sempronium Rufum, mel ac delicias tuas;* frequentantur hae similesque locutiones, ut par est, apud comicos, quorum exempla collegerunt Lorenzius ad Plaut. Most. 312 et Pseud. 174, Spengelius ad Trucul. 921, adhibenturque omnino, ubi ad sermonem familiarem descendit oratio, unde haud rarae sunt in epistulis Ciceronis, ut ad Att. I 5, 8; 8, 3, ad fam. VII 1, 2, apud Catullum II 1, III 4, VI 1, XXXII 2 (*meae deliciae, mei lepores*), alios; cfr. Meyerus l. l. p. 50.

Ex more vitae cottidianae dictum est *mihi negotium est cum aliquo* VIII 8, 9 *Pompeio cum Caesare esse negotium;* eodem modo Nepos XIV 7, 1 *sibi cum viro forti ac strenuo negotium esse* et Tacitus dialog. 18 extr. *nunc mihi cum universis negotium est,* nec significatione differt quod frequentius legitur *mihi res est cum aliquo,*de quo cfr. Schmalzius 'Festschr.' p. 97 et Georges Bursiani annal. philol. XII p. 113.

Vulgaris locutio est VIII 9, 1 *risus facit* pro *risus movet, excitat*; solet nimirum vulgus generale verbum *faciendi* loco verbi proprii cum substantivis coniungere; cfr. Thielmannus annal. gymnas. Bavar. XVI p. 206 et Landgrafius ibid. p. 326.

Eadem est condicio locutionis *metum habere* VIII 10, 1 *ego quidem praecipuum metum habui,* quocum apte conferentur Sallust. hist. fragm. I 49, 10 K. *habendus metus est aut faciundus,* Cic. p. Mil. 4 *timorem, si quem habetis, deponite,* Nep. VII 3, 5 *non solum spem in eo habebant maximam, sed etiam timorem* (cfr. Nipperdeii adnot. ad V 2, 1), Vitruv. I praef. 3 *ut ad exitum vitae non haberem inopiae timorem;* cfr. etiam Landgrafius l. l. p. 327 et Thielmannus 'das verbum dare im Lat.', Lips. 1882, p. 36.

E sermone familiari fluxit quod posuit Caelius VIII 15, 1 *qui tantas turbas . . . commorit;* simillime enim comici locuntur, velut Plautus Bacch. 1057 *tantas turbellas facio,* ibid. 357 *quas ego hic turbas dabo,* id. Pers. V 2, 70 *quas turbas danunt!,* Terentius Eun. 653 *quas turbas dedit,* Caecilius v. 101 Ribb. *mirum adeo nisi frater domi turbam aliquam dederit ebrius,* itemque Cicero Verr. V 31 *Tertia . . . . . maximas in istius castris effecisse dicitur turbas;* cfr. etiam Thielmannus l. l. p. 34.

Idem dicendum est de phrasi *ostenta facere,* quam legimus VIII 14, 4 *scis Appium censorem hic ostenta facere?*, cui similius exemplum nullum deprehendi quam Plauti illud Amphit. 1067 *tanta mira in aedibus sunt facta;* alia, nec tamen dissimilia sunt Cic. ad Att. IV 7, 1 *mera monstra narrat* et Lucret. IV 591 *monstra ac portenta loqui.*

Quod Caelius scribit VIII 14, 1 *quod iudicium nunc in expectatione est, etiam in bona spe,* 'man steht in Erwartung, was für einen Ausgang dieses Gericht nehmen wird, doch ist gute Hoffnung für den Beklagten' (Wiel.), huiusmodi locutiones cum alibi inveniuntur tum maxime apud comicos et in epistulis; cfr. Plaut. Mil. glor. 1279 *vide ne sies in expectatione* (vide ad h. l. Brixii et Lorenzii adnott.), Cic. ad fam. II 3, 2 *summa scito in expectatione te esse,* id. ad Att. VIII 11 D, 3 *cum res in summa expectatione esset,* Caes. b. c. II 17 *magna auxilia convenisse, magna esse in spe,* Cels. II 8 p. 45 D. *in quo plura ex his sunt, is in bona spe est,* quod quidem exemplum ad locum Caelianum proxime accedit; cfr. etiam Landgrafius l. l. p. 278 et Antib. s. v. spes.

Familiare est illud *aliquid in manu mea (mihi) est* VIII 6, 1 *quam velis eum obligare, in tua manu est;* frequentatur enim hoc genus dicendi apud comicos, ex quibus pauca exempla adscripserunt Lorenzius ad Most. 577 et Brixius ad Trin. 104, quibus alia addi possunt, velut Caecil. 261 Ribb. *cui in manu sit, quem esse dementem velit,* nec alienum est a Sallustio (Jug. 14, 4, 13; 31, 5) et a Cicerone (ad fam. XIV 2, 3); cfr. etiam Reblingius l. l. p. 31. eodem spectant:

VIII 13, 2 *stomacho est scilicet Pompeius Magnus nunc ita languenti* 'hat einen so schwachen Magen', quocum apte conferes Mart. XII praef. 16, 17 *adversus quod difficile est habere cottidie bonum stomachum,* 'was zu verdauen schwer ist', quaeque ad h. l. adlata sunt a Friedlaendero ex Quintiliano II 3, 3 et VI 3, 93.

VIII 15, 2 *sed tamen quod ob scelus iter mihi necessarium retro ad Alpes versus incidit?*, quod interpretatur Wielandus 'Indessen bin ich, weiss Gott mit welcher Uebelthat ich's verschuldet habe, in der Notwendigkeit, vorher eine Reise ... zu machen'; eodem fere modo dicitur a Plauto Capt. 762 *quod hoc est scelus?* (cfr. Brixius ad h. l.) et Men. 322 *quod te urget scelus,* a Terentio Eun. 326 *quid hoc est sceleris?;* vide praeterea Georg. s. v.

Tribus locis invenitur *in . . partem*: VIII 6, 1 *in hanc partem porro tutum tibi erit,* ibid. 8, 4 *senatus consultum in eam partem factum est,* ibid. 11, 4 *denique malo in hanc partem errare,* quocum admodum consentit Terentii illud Adelph. 174 *verum in istam partem potius peccato tamen* et Ciceronis pro Rosc. Am. 56 *in eam partem potius peccant.* itaque haud scio an recte Schmalzius progr. Mannh. p. 47 aliquid vulgare in hac locutione inesse adnotet, quamquam talia ne ab orationibus quidem Ciceronis abesse ostendunt exempla a Mergueto lex. oratt. Cic. vol. II p. 636 collata.

Certe familiaris sermonis est *ad summam* 'kurz u. gut, überhaupt' VIII 14, 4, qua quidem locutione omnium maxime usus est Petronius, ex quo plurima exempla congessit Segebadius l. l. p. 11; habent eam etiam Cicero, sed extra orationes, velut ad fam. XIV 14, 2, ad Att. XIV 1, 1, de off. I 149, ad quem locum vide Muelleri adnot., Horatius ep. I 1, 106, Senecae pater et filius; cfr. Antibarb. s. v. et Haasius miscell. philol. III 1861, p. 16.

Eadem est origo formulae *satius est,* h. e. melius est, VIII 17, 1 *perire satius est;* quae cum usitatissima sit in comoediis, apud Ciceronem nisi in primis quos scripsit libris inque epistulis non invenitur et omnino deest apud Caesarem; cfr. quae de hac re exposuit Thielmannus l. l. p. 391 s.

Habere absolute pro *se habere* posuit Caelius VIII 8, 3 *recte hoc par habet* eodem modo quo Cicero ad fam. XVI 15, 1 *is mihi nuntiavit te . . . belle habere,* Domitius ap. Cic. ad fam. IX 9, 1 *Terentia minus bene habuit,* auctor bell. Hisp. 32 *eum minus belle habere* dixerunt et saepe alii, quorum collegerunt exempla Lorenzius ad Pseud. 918 et Schmalzius annal. gymnas. Berol. l. l. p. 133 s.; quibus locis collatis adparet hoc genus loquendi sermonis familiaris proprium esse.

Eodem pertinet VIII 15, 2 *usquequaque . . se Domitii male dant,* 'lassen sich schlecht an, haben Pech' (Georg. s. v. et in Bursiani annal. philol. a. 1882 p. 257); nam item Terentius Eun. 230 *mirum, ni ego me turpiter hodie hic dabo* et Lucilius XI 21 p. 57 M. *posterius dat rectius sese,* nec ratione differunt Front. p. 75 N. *negotium belle se dedit,* Afran. 332 p. 207 Ribb. *eaque ferme se dedere melius consultoribus,* alia, quae congessit Thielmannus 'd. verb. dare' p. 97; cfr. etiam Schmalzius 'Berl. Philol. Wochenschr.' a. 1887, p. 720.

Quod dicitur VIII 11, 3 *accipitur satis male a Curione,*

'wird gar übel zugerichtet', familiaris haec locutio est ideoque et a comicis, de quibus cfr. Brixius ad Men. 704 et Spengelius ad Adelph. 106, et ab eis usurpata, quorum oratio non longe discedit a more cottidiano, velut a Lentulo ap. Cic. ad fam. XII 14, 4 *in oppugnando male acceptus*, D. Bruto ad fam. XI 13 a, 2 (copiolae) *pessime acceptae*, ab ipso Cicerone in eis libris, in quibus plus concessit familiari loquendi consuetudini, ut Verr. I 140, II 56, III 59, ad Att. I 18, 4, denique a Nepote XVIII 8, 1 *Antigonum male acceptum*, ad quem locum cfr. Nipperdeii et Lupi adnot.

Hoc quoque cottidianae vitae morem redolere quod legitur VIII 4, 3 *comitiorum dilationes occupatiorem me habebant* cetera huius generis exempla docent; invenitur enim *occupatum habere* (aliquem, animum, mentem) apud Ciceronem de inv. I 31, auctorem bell. Afric. 15, 8, Vitruvium I 1, 7 p. 5, 17, Augustinum vol. XXXIX col. 1881, 50 M., Ionam abbat. Elnon. Mign. vol. LXXXVII col. 1077 C; cfr. Thielmannus in Woelfflini archio lexicogr. II p. 378.

De eo loquendi genere quod est *quid alios putas?* sc. fecisse VIII 2, 1 cfr. Plaut. Trin. 811 *quid illum putas?* et ibid. Brixii adnot., Terent. Andr. 853 *quid illum censes?* (cfr. Spengelius et Klotzius ad h. l.), id. Adelph. 656 *quid censes?*, Cic. p. Rosc. Am. 49 *quid censes hunc ipsum?*, ad quem locum cfr. Landgrafius p. 229. hinc patet vulgarem esse hanc brevitatem dicendi.

Item familiare est illud quo res nova nec expectata effertur *scis?* i. e. scisne (scin)? VIII 14, 4 *scis Appium censorem hic ostenta facere?*, et ibid. 12, 4 *scis Domitio comitiorum diem timori esse?*[1]); eodem modo saepius comici dixerunt, velut Plautus Cistell. II 3, 69 *iam scis?*, 'weisst du's schon?', Terentius Heaut. 529 *scis esse factum ut dico?*, nec aliter Cicero pro Mur. 45 *scis tu illum accusationem cogitare?*, id. ad Att. IX 11, 1 *Lentulum nostrum scis Puteolis esse?* cfr. praeterea Wesenbergius emend. alt. p. 23 et 113.

Satis nota est formula illa vulgaris *amabo te* i. e. 'oro te', quae legitur VIII 6, 5; 9, 3; cfr. Langenus 'Beitr.' p. 290, Bootius ad ep. ad Att. VII 1, 4.

Interrogationis formula in sermone tritissima *quid ergo est?*, de qua cfr. Schmalzius 'Festschr.' p. 98, Landgrafius ad

---

1) ita recte distinxerunt Manutius eumque secutus Wesenbergius (cfr. emend. alt. p. 23 et 113); punctum posuerunt ceteri.

Cic. p. Rosc. p. 208, Gertzius ad Senec dialog. p. 81, 11, legitur VIII 12, 2, sed non sine causa, ut videtur, a Mendelssohnio annal. philol. vol. CXXXIII p. 67 in suspicionem vocata est.

Bis extat *crede mihi:* VIII 14, 4 et 17, 1; qui verborum ordo cum legitimus sit apud omnes eos, qui ad Ciceronem epistulas miserunt, itemque apud Petronium, apud Ciceronem vero nisi in epistulis ad Atticum datis fere nusquam inveniatur (alibi enim contrariam verborum collocationem *mihi crede* adhibere consuevit), iure sermoni cottidiano attribui videtur; cfr. quae de hac re exposuerunt Schmalzius annal. gymnas. Berol. l. l. p. 114 s. et Landgrafius ad Cic. p. Rosc. Am. p. 307.

Agere aliquem, cum apud optimos scriptores, ut Ciceronem et Terentium, significet 'personam alicuius in scaena tractare', primus quod sciamus Caelius ita ponit, ut sit 'partes alicuius agere, se gerere ut', VIII 2, 2 *ego incidi in competitorem nobilem et nobilem agentem,* et ibid. 17, 1 *mirificum civem agis,* atque sic persaepe insequentes dicunt, velut Horatius, Livius, Tacitus, alii, quos enumerant Georg. s. v. et H. Georges l. l. p. 44.

Se ferre significatione ea, qua ab Caelio adhibetur VIII 4, 2 *ut se fert ipse,* 'wie er sich selbst trägt, giebt', ut alienum a consuetudine et priscorum scriptorum et Ciceronis Caesarisque, ita familiare est historicis atque poetis. sic enim iam Sallustius locutus est hist. fragm. III 81, 22 K. *vindices, uti se ferunt, libertatis,* postea Horatius ep. I 17, 22 *quamvis fers te nullius egentem,* Velleius I 11 *se Philippum regiaeque stirpis ferre,* Suetonius Vesp. 23 *ingenuum se . . . coeperat ferre.*

Item *ponere inimicitias* VIII 6, 1 *cavendum tibi erit, ne parum simpliciter et candide posuisse* [sic cum Med. Wesenb.] *inimicitias videaris* contra usum Ciceronis quidem, qui in hac locutione verbo *deponendi* uti solet (cfr. Seyffertus ad Lael. p. 244 edit. alt.), sed ad historicorum poetarumque sermonis similitudinem dictum est; cfr. *bellum ponere* Sallust. Jug. 112, 1, Liv. I 53, 5, alibi, *discordias ponere* Tacit. ann. XV 2, nec diversa sunt ipsius Ciceronis illa de orat. III 12, 46 *ponere vitia* et Tusc. III 66 *ponere curam et aegritudinem.* nihil igitur est, cur Cobetum et Baiterum secuti codicis scripturam *posuisse* in *deposuisse* mutemus; cfr. etiam I. Muellerus in Bursiani annal. philol. a. 1882 p. 24. et ne illud quidem obstat, quo minus in tradita lectione adquiescamus, quod Cicero ad Caelii epistulam respondens ad fam. II 13, 2 dixit *simultatem deposuimus;* non numquam enim fit, ut hic, si quae parum eleganter ad

se scripta visa sint, ea in respondendo quasi corrigat; cfr. Schmalzius annal. gymnas. Berol. l. l. p. 101 s., 127 et Lehmannus Quaest. Tull. p. 39 s.

Eodem modo Caelius simplici verbo *ponendi* utitur VIII 12, 3 (ut) *mihi ponerent accusatorem,* cum Tullianum sit *adponere accusatorem,* ut ex Verr. IV 40 (vide Halmium ad h. l.), V 108, I 74, II 22 adparet; nec tamen Cicero non similia exempla praebet, ut *ponere custodem, iudicem,* alia.

Ad poetarum scriptorumque qui illos imitati sunt dictionem accedit quod legitur VIII 3, 1 *plane ubi delectem otiolum meum non habeo,* 'wie ich mein Bischen Musse angenehm ausfülle'; pariter enim scripsit Plinius ep. I 22, 6 *nec disputationibus longis aliorum otium suumque delectant,* similiter idem ep. IV 12, 2 *oblectamus otium temporis,* itemque Ovidius trist. V 12, 1 *scribis, ut oblectem studio lacrimabile tempus,* et Tacitus ann. XII 49 (cum) *iners otium oblectaret.*

Dare litteras, pro quo frequentius dicitur *reddere litteras,* habet Caelius VIII 2, 2 *qui has litteras tibi dedit,* sed item locuti sunt Cicero ipse ad Att. V 4, 1 *ac binas quidem tuas Beneventi accepi, quarum alteras Funisulanus multo mane mihi dedit* et Nepos Pelop. 3, 2 (epistula) *cum accubanti in convivio esset data.* itaque sine idonea causa Wesenbergius emend. alt. p. 19 pro *dedit* scribi mavult *reddidit.*

Pro usitato illo *dedita opera,* i. e. 'de industria, consulto', Caelius multo rariore genere loquendi usus *data opera* dixit VIII 1, 1 *data opera paravi,* quae quidem locutio praeter hunc locum extat tantum modo apud Plinium ep. VII 12 extr., Porphyrionem comm. in Horat. p. 237, 28 M., atque aliquotiens apud Gaium et Ulpianum; cfr. Landgrafius ad Cic. pro Rosc. p. 326 et Kalbius in Woelfflini archio lexic. I p. 83.

Quod pertinet ad posteriorum potissimum scriptorum est (Lagergrenus l. l. p. 179, Antibarb. s. v.), sed iam priore tempore, etsi perraro, comparet, ut apud Ciceronem p. Plancio 7 *quod ad populum pertinet* et Caesarem b. c. III 17, 3 *quod ad indutias pertineret.* sic etiam apud Caelium VIII 8, 4 *quod ad rem publicam pertinet.*

Sermonis forensis sunt locutiones: *calumniam iurare* VIII 8, 3 *cum calumniam iurasset,* 'obwohl er geschworen hatte, dass er nicht aus Schikane klage'; similiter Livius XXXIII 47 et Ulpianus digg. 39, 2, 13 § 3 *de calumnia iurare;* cfr. Osenbrueggenus ad Cic. pro Rosc. Am. 55; porro *calumniam ferre*

VIII 8, 1 *calumniam maximo plausu tulisse*, i. e. 'd. Strafe wegen trügerischer Anklage davontragen', cui simile est illud *ferre repulsam, poenam*, de quo cfr. Kalbius 'das Juristenlatein', progr. Nuremberg. 1886, p. 7.

Paulo insolentius dictum est VIII 9, 1 *civem bonum ludit*, 'er spielt auf komische Weise den Patrioten' (Antibarb. p. 673), nec omnino alius quisquam sic locutus esse videtur praeter Apuleium, quem *ludere magistratum* eadem significatione scripsisse adnotat Georges s. v.

Eodem ex numero sunt locutiones

imponere aliquem in rem VIII 17, 1 *cuius amicitia me paullatim in hanc perditam causam imposuit*, cuius quidem usus alterum quod par sit exemplum nullum invenio, unum autem simile apud Petronium 102 *innocentem alieno periculo imponere.*

conicere vocem VIII 4, 4 *in disputando coniecit illam vocem*, pro quo *iacere, inicere sermonem, vocem*, simil. dicere consuerant; cfr. Naegelsb. l. l. p. 321.

Ne illud quidem usitatum est quod legitur VIII 1, 1 *ne meum hoc officium arrogantiae condemnes*, 'dass du diese meine Dienstleistung nicht der Anmassung zeihest'; neque enim solet dici *condemnare aliquid alicuius rei*, sed aut *aliquem alicuius rei* aut solum *aliquid;* cfr. Klotzius art. lat. p. 64.

Hae locutiones apud solum quidem Caelium inveniuntur, neque tamen per se habent quicquam admirationis:

incidere in nodum VIII 11, 1 *incideramus in difficilem nodum;* sic haud raro *nodus* transfertur, velut a Cicerone ad Att. V 21, 3 *dum hic nodus expediatur*, in epist. ad Brut. I 18, 5 *maximus .... nodus est inopia rei frumentariae*, a Iuvenale 8, 50 *iuris nodos et legum aenigmata solvere;* cfr. lex. et Antib. s. v.

beneficia solvere VIII 12, 1 *magna mihi debebat beneficia, ... et cum homo avarus ut ea solveret sibi imperare non posset*, quod ad talium locutionum similitudinem dictum est quales sunt *solvere vota, fidem, ea quae pollicitus es*, simil.; verbo composito *exsolvendi* eadem significatione utitur Tacitus ann. IV 18 *beneficia eo usque laeta sunt, dum videntur exsolvi posse;* cfr. etiam Draegerus 'Synt. u. Stil d. Tacit.' p. 114 edit. tert.

auditionem accipere VIII 1, 2 *ne tenuissimam quidem auditionem de ea re accepi*, quam locutionem nulla causa Manutius ad h. l. ut duriorem et horridiorem reprehendit; nam *auditio* vel ab optimis scriptoribus, ut Cicerone et Caesare, vi passiva

dicitur, ut idem significet atque *rumor, fama;* cf. e. g. Caes. b. g. VII 42, 2 *ut levem auditionem habeant pro re comperta* et vide Naegelsb. l. l. p. 181. nec plus offensionis inest in verbo *accipiendi* notione *audiendi, percipiendi* posito, cuius usus exempla haud pauca suppeditant lexica.

Subiungam his aliquot formulas dicendi, quae quidem dignae commemoratione videntur.

Quod ex certissima Madvigii coniectura (cfr. Wesenb. emend. p. 102) legitur VIII 6, 4 *quoquo modo potuit*, tam frequens haec locutio est, ut pro solemni haberi debeat; vide multitudinem exemplorum a Woelfflino 'd. Geminat. im Lat.' in relatt. academ. Monac. a. 1882, p. 447 s. congestorum: Cornif. IV 23, Sallust. Iug. 60, Cic. ad Quint. fr. I 2, 14, ad Att. II 4, 1, VIII 12, 1, pro Cluent. 12, 42, pro Rab. Post. 24, Brut. 237, de off. III 118, Lael. 41 (cfr. ibid. adn. crit. C. F. W. Muelleri), Apul. mund. 24.

Item formulae locum obtinere *quod maximum est* VIII 13, 1 exempla patefaciunt Terentii Hec. 457 *id quod maximum est,* Ciceronis ad Att. I 12, 1 *quod vel maximum est,* ibid. II 23, 3 *quodque maximum est*, pro Mil. 83 *id quod maximum est*, pro Marc. 7 *quod certe maximum est*, ibid. 25 *quod maximum est,* Phil. II 23, V 13, denique Plauti Trin. 813 *quod maxumumst;* nam ita cum Brixio (edit. tert.) scribendum esse (*maxumist* cum codd. B C D Ritschelius et Schoellius) adlatis locis evincitur; cfr. etiam Brixius append. crit. p. 144.

Nota est formula illa maxime in epistulis Ciceronis usitata *ut nunc est*, quam habet Caelius VIII 1, 2; 4, 2; 12, 1; cfr. Schmalzius 'Festschr.' p. 98.

Nulla causa Klotzius art. lat. p. 64 Caelii illud VIII 1, 1 *ut ego arbitror* ab optimo genere dicendi abhorrere putat; nam ita ipse Cicero locutus est pro Sest. 16, de off. III 44, ad fam. I 8, 2, II 10, 4, alibi; cfr. Schmalzius annal. gymnas. Berol. l. l. p. 88 adn.

ferrum et vis, sicut a Caelio VIII 14, 4 *ferrum et vis iudicabit,* ita etiam a Cicerone p. red. ad Quir. 14 *vis et ferrum . . versaretur* et a Tacito ann. XI 23 *quorum avi . . . exercitus nostros ferro vique ceciderint* coniungitur; nec multum differt Livii illud I 59, 1 *ferro, igni, quacumque dehinc vi possim* aut Taciti ann. XIV 3 *veneno an ferro vel qua alia vi.* usitatiora tamen sunt *ferrum et arma, vis et arma*, similia, de quibus dixit Landgrafius ad Cic. p. Rosc. Am. p. 384 ss.

Cum VIII 4, 2 *initium et causa* apte conferentur Taciti hist. II 52 *causam et initium,* ibid. IV 1 *initium .... causa,* annal. I 27 *causa .. et initium,* Germ. 9 *causa et origo* (item Iustin. VIII 1, 4 et XI 7, 5), alia quae collegit Woelfflinus Philol. vol. XXV p. 133 et XXIX p. 558.

bonus et strenuus copulavit Caelius VIII 9, 4 *bonum et strenuum adulescentem;* quae coniunctio videtur admodum rara esse, neque novi nisi unum eius exemplum apud Sallustium, qui Iug. 23, 3 adverbia *bene atque strenue* coniunxit. nimirum legitimum est et quasi in formulam abiit *fortis et bonus* vel *fortis et strenuus;* cfr. Bentleius ad Horat. c. IV 4, 29, Orellius ad eiusd. ep. I 7, 46.

Pariter atque Caelius VIII 9, 3 (cura) *imperandi et mandandi* Cicero quoque verba synonyma nectit Verr. IV 17 *ita enim mandatum atque imperatum est;* alia id genus exempla non inveni.

Proverbiis formulisve proverbialibus utitur Caelius his:

VIII 14, 4 *numquam tibi oculi doluissent, si in repulsa Domitii vultum vidisses;* proverbii enim loco dici solet *oculi dolent alicui* de eo, qui rem molestam et odiosam cernit, velut a Plauto Most. 891 *vah, oculi dolent; quor? quia fumus molestus* (cfr. Lorenzius ad h. l.), et a Terentio Phorm. 1052 *vin primum hodie facere, quod ego gaudeam ... et quod tuo viro oculi dolent?* vide Ruhnkenium ad h. l.

VIII 16, 5 (cogita) *ne te sciens prudensque eo demittas, unde exitum vides nullum esse,* quocum conferantur poeta incertus ap. Cic. ad fam. VI 6, 6 (v. Ribbeckii trag. fragm. p. 256 LXXVIII) *prudens et sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus,* Terentius Eun. 71 *prudens, sciens, vivus vidensque pereo,* Cicero p. Marc. 14 *prudens et sciens tamquam ad interitum ruerem voluntarium,* alii. copiosius de hac formula egerunt Landgrafius annal. gymnas. Bavar. XVI p. 318, id. ad Cic. pro Rosc. Am. p. 242, Preussius l. l. p. 105; cfr. etiam Meyerus l. l. p. 7.

Ad proverbiorum similitudinem dictum videtur VIII 5, 3 *sane tamquam in quodam incili iam omnia adhaeserunt;* neque enim multum differt hoc genus loquendi a comicorum illo *res, negotium haeret,* de quo dixerunt I. Pfluegelius 'd. lat. Sprichwort b. Plaut. u. Ter.', progr. Straubing. a. 1880, p. 14, Brixius ad Trin. 904, Lorenzius ad Pseud. 403, aut ab eo, quod item vulgaris sermonis est, *haerere in luto, caeno,* cuius locutionis exempla multa post Ruhnkenium (ad Ter. Phorm. V 2, 15) et Lorenzium

(ad Pseud. 967) congessit A. Otto in Woelfflini archio lexicogr. IV p. 28.

Imprecandi formula est VIII 1, 4 *quod illorum capiti sit*; cfr. Landgrafius annal. gymnas. Bav. XVI p. 329. eodem modo locuti sunt Tibullus I 2, 12 *capiti sint, precor, illa meo*, Cicero ad Att. VIII 5, 1 *multa māla eum dixisse suo capiti, ut aiunt,* saepe alii, ex quibus aliquot exempla exscripsit Meyerus l. l. p. 55.

Adgnominationum quoque, quae quanto opere placuerint Romanis sat notum est (cfr. Schmalzius progr. Mannh. p. 30), exempla aliquot habet Caelius.

Haud infacete verborum *optimas* et *optimus* similitudine ludit VIII 16, 2 *vide ne, dum pudet te parum optimatem esse, parum diligenter quod optimum sit eligas*, cui cognatum est Ciceronis illud de re p. I 50 *optimates quis ferat, qui non populi concessu ... hoc sibi nomen adrogaverunt? qui enim iudicatur iste optimus?*

Vocabuli *eques* ambiguitate iocatur, etsi satis frigide, VIII 1, 4 *alius* (sc. dicit) *equitem perdidisse* (Caesarem), *quod, opinor, certe factum est*; nam *equitem*, cum in hac narratione significet 'equitatum', simul proprie de uno equite accipiens Caelius hoc dicit: 'equitatum Caesar num perdiderit, incertum; hoc vero certe factum puto, ut perdiderit equitem.[1]) de simili iocandi genere (*frigore frigescere* VIII 6, 4) iam supra diximus p. 23.

Quin eo procedit Caelius, ut plane nova verba fingat, quae, ut sono similia, significatione dissimilia, iocosam reddant sententiam, velut vidimus eum novasse adiectiva *coa* et *nola* supra p. 49. quae cum ita sint, haud scio an ne in eo quidem quicquam offensionis insit, quod in Med. legitur VIII 9, 1 (Hirrus) *Curionem prorsus curionem non mediocriter obiurgat: sic*[2]) *repulsa se mutavit.* nam videtur Caelius ratione simillima ei de qua diximus iocari in nomen Curionis vocabulo usus a Plauto Aul. 561 ex more vulgari conformato; est enim *curio*

1) ita locum interpretatus est reiecta H. Stephani coniectura (cfr. etiam Wesenbergius emend. p. 93), qui *factum* in *fictum* mutavit, Teuffelius mus. rhen. vol. XXIX p. 364 adprobantibus Hofmanno (edit. quint.) et Lehmanno annal. societ. philolog. Berol. X p. 9.

2) ita correxit Madvigius advers. crit. III p. 160 Medicei corruptelam *obiurgatus ac;* de ceteris vero, quae ibid. proposuit, vide quae diximus p. 46.

is, qui 'curis conficitur' ('Hirr. schilt d. Curio als wahren curio, i. e. Kummermenschen, weidlich aus') diciturque hoc loco de 'nimiis Curionis curis, i. e. de timore Caesaris potentiae cunctationeque Gallias ei detrahendi' (Wesenb. adnot. crit.).

Denique similitudinis causa conferantur:

VIII 8, 1 *ad subsellia rei occurro* cum Catullo XXXIX 2 *sî ad rei ventum est subsellium;*

VIII 12, 2 *simiae vultum subire* cum Cicerone pro Quinct. 97 *ipsius inimici vultum superbissimum subiit;*

VIII 6, 1 *rettudit sermones* cum Livio XXXIII 31, 8 *Aetolorum linguas rettundere;*

VIII 12, 1 *cum homo avarus ut ea* (beneficia) *solveret, sibi imperare non posset* cum Curtio V 7, 10 *imperaverunt sibi, ut crederent*;

VIII 3, 3 *quî tibi istuc in mentem venit?* cum Cicerone Phil. II 40 *quî istuc tibi venit in mentem?*

Caput V.

De reliquis proprietatibus dicendi.

1. De collocatione verborum.

Tribus locis Caelius cognomina nominibus praeposuit, VIII 9, 5 *Balbum Cornelium,* ibid. 11, 2 *Balbi quoque Corneli,* ibid. 12, 2 *Polam Servium,* noto illo usu, qui ex consuetudine familiari, ut videtur, oriundus ne ab optimis quidem scriptoribus abhorruit percrebruitque apud posteros; cfr. Mommsenus 'Röm. Forsch.' I p. 41 et adn. 67, Lahmeyerus Philol. vol. XXIII p. 475 ss., Schmalzius 'Festschr.' p. 100, alii.

Notabilis *tam* particulae transgressio invenitur VIII 2, 1 *nihil enim umquam tam praeter opinionem, tam quod omnibus videretur indignum accidit;* similiter dixit Cicero Cat. III 17 *hominem tam acrem, tam audacem, ... tam in scelere vigilantem, tam in perditis rebus diligentem,* pro Cael. 12 *neque ego umquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto, tam ex contrariis diversisque ... naturae studiis ... conflatum,* alibi, itemque haud raro ceteri scriptores; cfr. Madvigius ad Cic. de fin. V 26, Seyffertus ad Lael. p. 49 edit. alt., Schmalzius 'Festschr.' p. 100 et synt. p. 389, 4.

Saepius pronomen possessivum quod est *suus* substantivo suo sine vi et pondere praemittitur; cfr. VIII 6, 2 *suae spei,*

ibid. 8, 10 *suo munere,* ibid. 9, 4 *ad suum negotium,* 10, 2 *cum suo exercitu;* eandem verborum collocationem habent Nepos (cfr. Nipperdeius opusc. p. 170) et Vitruvius (cfr. Praunius 'Bemerkungen zur Synt. d. Vitruv', progr. Bamberg. a. 1885, p. 82).

Summo iure Wesenbergius emend. p. 109 VIII 9, 2 *reiecta res* [om. Med.] *est* restituit, cum hic legitimus verborum ordo sit, non *res reiecta est,* ut mavult Baiterus, cum apud Ciceronem Liviumque tum apud Caelium ipsum VIII 8, 4 *actum nihil est;* cfr. Madvigius ad Cic. de fin. V 86, Wesenbergius l. l. cum adnot. 1, Schmalzius synt. p. 388.

Ex vitae cottidianae usu adsumpsit Caelius collocationem illam verborum, quam legimus VIII 10, 1 *nosti Marcellum quam tardus sit,* et ibid. 16, 1 *postquam Caesarem convenerim sententiamque eius qualis futura esset cognoverim;* frequens enim ea est apud comicos, sed fere repudiata ab optimis scriptoribus; cfr. de hac re notissima Schmalzius synt. p. 394 et 'Philol. Wochenschr.' IV p. 179, Draegerus II p. 498 s., Brixius ad Trin. 373.

Rara apud optimos scriptores, sed antiqua et familiaris, ut videtur, est substantivi ex enuntiato primario in relativum traiectio VIII 8, 10 *eas, quae ad ludos ei advectae erant Africanae;* cuius exempli similia ex aliis scriptoribus congesserunt Draegerus II p. 502, Kuehnerus II p. 846, 2, Nipperdeius opusc. p. 117.

Durius quidem, sed epistulari generi dicendi parum polito convenienter Caelius in fine sententiarum compluria verba finita deinceps posuit VIII 5, 3 *quam hoc Caesari, qui . . . non curent, suppeditent* [? cfr. p. 23], *non te fallit,* ibid. 11, 2 (Hirrus) *cum posset rem impedire, si, ut numeraretur, postularet, tacuit,* ibid. 16, 3 *dum, quid de Hispaniis agamus, scitur, expecta;* eadem verborum coacervatione ne Cicero quidem, nedum posteriores abstinuerunt; cfr. Naegelsbachius l. l. p. 508 s., Lupus 'Sprachgebrauch' p. 192, Kuehnastius synt. Liv. p. 319 extr.

2. De compositione sententiarum et periodorum.

Pauca hic habeo quae adnotem; nam incompta est Caelii orationis conformatio, utpote quae sermocinandi consuetudinem reddat, nec ad artificiosiores numeros exacta: sententiae aut simpliciter sententiis adnectuntur (cfr. exempli gratia VIII 6, 4 et 5, ibid. 8, 10) aut devinciuntur comprehensione brevi atque facili, velut VIII 1, 1 *quod exemplum si forte minus te*

delectarit, ne molestiam tibi ... exhibeam, fac me certiorem, ibid. 2, 2 *simulac ... audieris, ut ... curae sit, rogo,* ibid. 7, 1 *ego quidem eo magis, quo adhuc felicius res gessisti, dum istic eris .... cruciabor, ne* e. q. s. interdum tamen cumulatis enuntiatis secundariis inque initio sententiae positis durior et inconcinna oratio fit, velut VIII 8, 2 *M. Servilius postquam ... turbarat nec ... reliquerat ... traditus erat, neque Laterensis ... recipere voluit, Q. Pilius .... eum postulavit,* ibid. § 3 *postquam discessit* (Laterensis) *et pro absoluto Servilius haberi coeptus est, legisque caput CI legit* (Laterensis) .... *in tabulas non rettulit;* quin prorsus dissolvitur oratio VIII 16, 2 *si tibi tu, si filius unicus, si domus, si spes tuae reliquae tibi carae sunt, si aliquid apud te nos, si vir optimus, gener tuus, valemus, quorum fortunam non debes velle conturbare, ut eam causam ... odisse aut relinquere cogamur aut impiam cupiditatem ... habeamus; — denique illud cogita* e. q. s., de quo loco vide Wesenbergium emend. alt. p. 25.

Sed ut iam singula videamus, frequentat Caelius asyndeton bimembre adversativum, sermonis antiqui et vulgaris simplicitatem secutus (cfr. Lehmannus Quaest. Tull. p. 23 s., 26 s., Schmalzius synt. p. 300) simulque eo consilio, ut graviorem concitatioremque orationem reddat. exempla haec sunt:

VIII 8, 3 *in tabulas absolutum non rettulit, ordinum iudicia perscripsit,* quocum utile est conferre magnum numerum exemplorum id genus a Wesenbergio emend. alt. p. 32 et 78 congestorum.

ibid. 14, 4 *nam sordes eluere vult, venas sibi omnes et viscera aperit,* quod cum eodem fere ex genere sit ac prius exemplum, recte a Lehmanno l. l. p. 26 contra mutationem Baiteri, qui post *nam* praeeunte Lambino *dum* inserit, et dubitationem Wesenbergii emend. alt. p. 24 defenditur.

ibid. 5, 1 *si .. moderari*[1]) *possemus, ut ... quantum gloriae triumphoque opus esset, assequeremur, periculosam et gravem illam dimicationem evitaremus,* quae verba nuper temptata a P. Starkero, qui 'symb. crit. ad Cicer. epp.', diss. Vratislav. 1882, p. 20 s. mavult *periculosam autem,* suo iure vindicavit Schmalzius in Bursiani annal. philol. XII p. 45.

ibid. 1, 2 *nam et illi rumores de comitiis Transpadanorum Cumarum tenus caluerunt, Romam cum venissem, ne tenuissi-*

---

1) cfr. de hoc loco Lehmannus Quaest. Tull. I p. 37 s.

nam quidem auditionem de ea re accepi; praeterea Marcellus e. q. s.; recte haec interpretatus est Wesenbergius emend. alt. p. 18: 'rumores de com. Transp. *illi quidem* Cum. ten. caluerunt, *sed* Rom. cum venissem .... accepi'. quam structuram ferri posse negat Starkerus l. l. p. 18 s. iubetque scribi *nam etsi illi,* sed sine idonea causa. nam vere Caelianum esse asyndeton illud ex ceteris quae enumeravi exemplis intellegitur. de interrupto autem cursu orationis (nam Caelius cum sic incepisset, tamquam dicturus esset *nam et illi rumores .... et Marcellus,* membro priore longius progrediente paulo aliter perrexit verbis *praeterea Marc.*) vide Madvigium exc. I ad Cic. de fin. p. 790 ss. edit. tert., Wesenbergium l. l., Lehmannum l. l. p. 42 s.; cfr. etiam Schmalzius l. l.

His adiungere liceat aliud asyndeti genus VIII 15, 1 *ecquando tu hominem ineptiorem quam tuum Cn. Pompeium vidisti, qui tantas turbas, qui* (i. e. 'obgleich er') *tam nugax esset, commorit,* quo loco frustra Ernestius, Baiterus, Wesenbergius olim (nunc enim etsi subdubitans Medicei scripturam tuetur) *cum tam n. e.* scribendum censuerunt. nam haud ita raro fit, ut enuntiata relativa genere inter se differentia ἀσυνδέτως ponantur; cfr. Cic. Tusc. IV 17, qui locus nostro est simillimus, *qui, cui* (i. e. 'obgleich ihm') *alterius commoda nihil noceant, tamen eum doleat iis frui,* alia a Wesenbergio emend. alt. p. 32 et 79 et a Seyfferto ad Lael. p. 198 edit. alt. collecta.

Superest ut adnotem semel Caelium nota illa figura quam ἐπιπλοκήν vocant usum esse VIII 4, 3 *mentio ... et promulgatio de dictatore subito deiecit* (M. Coelium Vinicianum) *et deiectum magno clamore insecuta est;* qua de re copiose disputavit Landgrafius ad Cic. pro Rosc. Am. p. 197 ss. exemplis ab eo congestis adde Cic. Verr. V 61 *pretio certo missos facere nautas, missorum omne stipendium lucrari* et locos Lucretianos enumeratos ab Aem. Kraetschio 'de abundanti dicendi genere Lucret.', diss. Berol. 1881, p. 82 s.

3. Alliterationis

quae nunc dicitur haec extant exempla:

VIII 14, 4 *venas sibi omnes et viscera aperit;* item locuti sunt Lucretius III 391 *per venas, viscera, nervos* et ibid. 566, Cicero Catil. I 31 *periculum inclusum erit in venis atque in visceribus;* cfr. Woelfflinus 'd. allitt. Verbind. d. lat. Sprache' in relatt. acad. Bavar. a. 1881, p. 79.

ibid. 16, 1 *per liberos te oro et obsecro;*[1]) eandem formulam non inveni nisi apud Ciceronem ad Att. III 19, 3, ad fam. IV 13, 7, et Frontonem epp. p. 133 N., cum multo frequentius sit *oro, obsecro* aut *oro atque obsecro;* cfr. Woelfflinus l. l. p. 73 et Landgrafius l. l. p. 146.

ibid. 1, 4 *nec beatus nec bene instructus,* quod ad locutionum quae sunt *bene et (ac) beate, bene beateque* similitudinem conformatum est; cfr. Woelfflinus l. l. p. 49.

ibid. 5, 2 *nisi libere liceat ... decernere,* quocum apte conferentur Cic. imp. Pomp. 13 *libere loqui non licet* et trita illa *libere ac licenter, libenter ac libere, libet licet,* similia, de quibus vid. Woelfflinus in archio lexicogr. III p. 449.

Iam quaestione de rebus singulis ad finem perducta si universum dicendi genus Caelii, quale hinc perspicitur, consideramus, illud quod supra p. 10 a primo probabile esse diximus plane confirmari videmus. nimirum talem eum repperimus in epistulis, qualem in orationibus fuisse traditum est: formas, structuras, verba, locutiones haud pauca deprehendimus prisca eademque vulgaria, nec pauciora quae, quamquam et illo ipso tempore et post vel apud eruditos satis usitata, tamen a Cicerone et Caesare ut elegantiae sermonis parum consentanea reiecta sunt; totumque scribendi genus nequaquam politum, interdum etiam asperum, sed acre et concitatum plenumque argutiarum. itaque felici casu accidit, ut amissis orationibus Caelii hae epistulae eius una cum Tullianis ad nostram aetatem pervenerint ut et indolis Caelianae et sermonis cottidiani qui tum vigebat monumenta fidissima.

---

1) hanc enim scripturam in altero huius epistulae exemplo ad Att. X 9 A traditam praeferri flagitat ratio, qua codici, quem aliis in rebus integriorem cognovimus (cfr. adn. crit. Baiteri), etiam in hac fidem haberi opus est; cfr. etiam Wesenb. emend. p. 126. quodsi Preussius 'de bimembris dissoluti ap. script. Rom. usu sollemni' p. 95 *oro obsecro,* quod in epist. ad fam. traditum est, recipiendum esse putat, perverse ille Caelii locum cum Tullianis confundit; vide praeterea quae ipse in Addendis p. 119 adnotat.

Index